For Dr. Bostock from his humble Ser. The Author

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE RHEO PALMATO.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini subjicit

GEORGIUS SANDEMAN,
BRITANNUS.

Prid. Id. Septemb. hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXIX.

182

JOANNI HOPE, M. D.

BOTANICES

IN ALMA ACADEMIA EDINENSI

PROFESSORI EGREGIO,

COLLEGII MEDICORUM REGII EDINENSIS

ET

SOCIETATIS REGIÆ LONDINENSIS,

SODALI DIGNISSIMO,

PRÆCEPTORI SUO ET AMICO,

DE SE OPTIME MERITO;

ITEM,

JOANNI BOSWELL, M. D.

COLLEGII MEDICORUM REGII

EDINENSIS SOCIO,

VIRO DOCTRINA

MEDICINÆ, ET NATURÆ PERITIA,

INSIGNI,

OB SUMMAM QUA SE SEMPER

EXCEPIT AMICITIAM:

D. D. C. Q.

GEORGIUS SANDEMAN.

DISPUTATIO MEDICA

DE

RHEO PALMATO.

ETYMOLOGIA.

DE plantae radice ſcripturus ſum, quae ab initio Rheum propterea nominata eſt, quod eadem quae ρεον ſeu ρα Dioſcoridi * dicta, vulgo credebatur. Vocabulum autem ρα plantae cuidam circa ejuſdem nominis flumen creſcenti, nunc a Tartaris Edel, ab aliis Volha ſeu Volga adpellatum, antiqui impoſuerunt. Idem, cum mox in ραΐον et ρηον, corrupto ſermone, eſſet mutatum,

* Lib. 3. cap. 2.

Arabes, qui primam literarum disciplinam a Graecis acceperunt, in voces etiam corruptiores, Rhavend * et Riuvand, quaeve etiam consuetior erat, Raved †, deinde converterunt. Ab his non multum discrepantes nomen Ravam Chinenses assumpserunt.

Porro, cum planta antiquorum ρα duorum generum esset; quorum unum, quod in fluminis supra memorati ripis nascebatur, ρα simpliciter; alterum, quod in Ponto crescebat, discriminis causa, Rhaponticum nominabatur: Igitur, ut ab his distingueretur ea de qua agitur, vox Βαρβαρον ita adjectum est, ut Ραβαρβαρον seu Rhabarbarum inde coalesceret. Quae vox a regione unde ad nos advehitur, non, ut post modo dicetur, ubi nascitur, tracta est; pari modo ac crocum praecipientes, vocem *Anglicum*, quo certius ab orientali dicto distinguatur, adjicimus; quodque rem propius est, Rheum Muscoviticum et Russicum dicimus, ne cum Chinensi forte confundatur quod alio huc itinere adfertur.

Vox haec rhabarbarum hodie quidem a multis usurpatur: Sublata verum ejus usus, ut

* Salmasius, p 561.

† Rolfincius, sect. 12. pag. 302.

ut mox oſtendam, cauſa; nos MYREPSUM, MESUAM, et nonnullos alios ex optimis pharmaceuticis antiquis, praeſtantiſſimam quamque e pharmacopoeiis praeſentibus, et prae caeteris egregium CAROLUM LINNAEUM auctorem ſecuti, rejectis aliis, vetuſtiſſimum nomen rheum retinemus.

RHEI ANTIQUITAS.

RHEO DIASCORIDIS, THEOPHRASTI, GALENI, PLINII, et reliquorum antiquorum, rite conſiderato, licet multis in rebus noſtrum retuliſſe videatur; a BAUCHINO tamen, diligentiſſimo hujus rei judice, noſtrum illis prorſus eſſe incognitum, non eſt quod diſſentiam. Cujus judicium confirmat PROSPER ALPINUS, qui virtutes Rhei antiqui eaſdem omnino quas Rhapontici, ideoque a noſtro neceſſario diverſas eſſe, docet.

VERUM rheum, de quo agitur, ſupra Pauli Æginetae tempora repetere non licet. Is circa annum poſt natum Chriſtum quingenteſimum floruit, et paſſim per opera ῥεου βαρβαρίκου facit mentionem; ut in compoſita medicina quae

quae διὰ Κουρκλλις Ποδαγρικη inscripta est, cujus illud primam fuisse partem memorat; item in medicamentis alvum solventibus dinumerandis; quibus idem medicamentum adnumerat *. Myrepsus etiam et Actuarius verum Rheum haud nescierunt. Ejusdem virtutes ante omnes Mesua, qui circa annum Christi aetatis nongentesimum vixit, adeo bene et fideliter describit, ut plerique post hunc scriptores nihil, nisi quod ab illo accepissent, memoriae prodiderint.

LOCUS NATALIS.

Locus ubi nascatur rheum diu ignoratus aut addubitatus est. Ex iis qui primi de hac re memorabilius quicquam literis prodiderunt, Garcius ab horto, Christophorus a costa, Abrahamus Montingius, et Carolus Clusius, Rheum nusquam nisi in China et oris ejus gigni, omnes fere consentiunt. Kircherus universos Chinae fines, sed prae caeteris provincias Su Civem et Xensy solum il-

* Lib. 1. cap. 43.

lius

lius natale esse, foecundissimumque Socieu muro Chinensi proximum, adfirmat. WITSENIUS, qui ex omnibus hujus rei peritissimus esse videtur *, cum in aliis locis, tum in Mongalia, non solum prope murum modo dictum, sed et in tractibus magis ad septemtrionem pertinentibus, ut Selinginsk †, copiosissime crescere docet. Quod quidem popularis noster JOANNES BELL Antermoniensis, qui totam illam regionem visit, confirmat: Is ad Ulgam prope Selinginsky, mercatores Russianos et Chinenses frequentes commeare, et cum Mongalensibus merces suas Rheo illic sine cultu magna copia crescente commutare, testatur.

EANDEM plantam non in Siberia gigni, sed ex China et Mongalia illuc pervehi, item in Tartarea haud ita procul a muro Chinensi gigni, et a Tartaris in sacris faciendis adhiberi, WITSENIUS ‡ ostendit. Verum, ex omnibus Chinae provinciis, Sinica Suchuen, ut et solitudines ad Tangutum pertinentes, feracissime Rheum edunt. Quod Bucchari et Chalmucci coemptum illinc in Siberiam ac in por-

* Edit. second. hist. Tart. boreal. et orient.

† p. 503. ‡ p. 825.

tus

tus Chinae advehunt. Unde in varias Europae nationes transvehitur. Ex iisdem portubus Bucchari et Chalmucci, regni Persici incolae *, cum aliis mercibus magnam rhei copiam in Persida asportant. Ex qua etiam in maris Mediterranei portus haud exigua ejus vis transfertur.

Quibus omnibus testimoniis satis lucide constat, Rheum, quacunque ad nos perfertur, neque prope flumen Volgam, ut nonnullis, neque in Siberia, ut aliis, neque in Perside, ut aliis scriptoribus placuit, innasci. Quod si India et Barbaria olim pro solo ejus natali habita sunt, id factum est, quod per eas regiones Rheum in Europam transveheretur; unde ignaris tum geographiae et historiae naturalis opinio suborta est, quasi et eae essent ipsius quoque origo.

DIVERSITAS RHEI.

Cum autem tribus viis, vel recta, scilicet, e China, nostris mercatoriis navibus; vel e Rus-

* Bengel. dissertat. inaug. p 9.

ſia per Petropolin; vel claſſe Turcica e Perſide, Rheum ad nos invehatur; ita diverſi habitus reperitur, quod noſtris navibus Indicis advehitur, diſcriminis cauſa, Chinenſe adpellandum, conſtat fruſtis inaequalibus, admodum denſis et firmis, extra ſubfuſcum, intus magis in flavedinem inclinans, ſapore amaro ſubaſtringente, et nauſeam excitante, et ingrato quodam odore. E Ruſſia et Perſide adlatum, ex fruſtis oblongis compreſſioribus compoſitum eſt, magis ſpongioſum, extrinſecus floridius et aequabilius flavum, ſapore magis aſtringente, minus nauſeae excitatrice, magis grato et ſuaviter aromatico odore.

Quae Rhei diſcrimina diverſae parandi rationi deberi videntur. Nam Mongalenſes, a quibus ſuum Ruſſiani accipiunt, teſte Bellio, id autumno colligunt; radices majores in fruſta, quo citius ſiccentur, concidunt; fruſta media perforant, et foraminibus adligata protinus vel circa mapalia vel ex ovium cornibus ſuſpendunt. Sed madore amplexuque cornuum ovinorum liberum aëris aditum prohibente rheum corrumpi, primumque circa foramina, ſummopere periclitatur.

Diversam parandi rationem Chinenſes ſequuntur. Illi enim, per hybernos aut vernos dies,

dies, quolibet ante gemmulas virides prodeuntes tempore, radices terra effodiunt; et sic succos radicibus altius conclusos impetrant Has in frusta quae facile siccentur concidunt; concisas in longis tabulis quatuor dies disponunt, terque indies aut quater frusta convertunt. Quo fit ut succi penitus magis in tota frustorum corpora dissipata permisceantur, et pertinacius deinceps inhaereant. Idque faciunt, humores, ubi frusta statim suspenduntur, unctuosos cito evanescere, radicesque, multo virtutum perdito, ideo multo leviores relinqui, experti. Post quod frusta in fila disciffa, loco a solis radiis tuto, sed ventis facile perflato, suspenduntur.

Supra dicta de diversis sive effodiendi temporibus, sive siccandi rationibus, quae hinc Mongalienses, hinc Chinenses, observant, Russiani et Chinensis Rhei magna ex parte discrimen explicabunt. Ratio Chinensis radicem quam maxime succis plenam effodiendi et paullatim exsiccandi, ita ut succi magis in corpus rhei dissipati permisceantur et pertinacius insigantur, densitas, pondus, et color magis ater facile explicabilia sunt. Eadem res, quare caries in media radice toties deprehendatur, monstrat rationem.

Quin

Quin et aliud periculum ex vectione per mare nascitur; nam, ut Garcias ait, "Mari vecta, "mensis spatio, Rheum magis corrumpitur "quam toto anno terra." Magna ex parte parandi rationem differentiam radicum explicare, sed non ex toto, dixi. Nam, si radicum de quibus retuli figurae inter se discrepantes considerentur, quarum alterae scilicet Chinenses, saepe bulbosae duobus conis ad basin conjunctis, praecisis acuminibus, et in minores radiculas praeruptis, haud dissimiles sunt, quodammodo Oenanthen Crocatam referentes; dum alterae, nempe Russianae, compressiores, ad extrema teretes, Dauci Carotae instar, reperiuntur; non possum non opinari, eas, si diversae species non sunt, ejusdem saltem speciei esse varietates.

Nomine radicis, antiquitate, solo natali, administrandi ratione, et hinc pendentibus differentiis quibusdam constitutis, ad plenius eam et uberius describendam deinceps transibo.

EXTERNA FACIES.

Rhei radix, ita ut dictum eſt, parata, itaque pro parandi ratione, colore, odore, et ſapore paululum varians, ubi diligentius exploratur, haec communia fere habet. Externa facies fuſca aut flaveſcens eſt, rubris, flavis, aut etiam albis venis ita penitus per totum corpus diſcurrentibus, ut nucum moſchatarum varium et diſtinctum habitum referat. Eadem microſcopo perſpecta, cellulis rotunda, fuſca et alba grana, et quaſi parvas gummi fuſci albive particulas *, continentibus, conſtare videtur. E quibus albae interdum exiguarum ſacchari albi aut mannae; fuſcae, ſacchari fuſci candive quod dicitur, aut perexiguarum gummi Senegae particularum, ſimilitudinem habent. Hae cellae concretum radicis ſuccum, et praecipue medicinalem, concludere videntur; ſiquidem calidae aquae infuſa radice, is ſuccus omnis extrahitur; quo extracto, cellulae exhauſtae vacuaeque, totidem foraminum aut ſulcorum in longitudinem patentium inſtar, adparent.

* Septalius lib. 9. animad. 125. confracto eodem ſolis radiis expoſito, aliquid gummoſum et ſplendeſcens ſe vidiſſe ait.

Verum,

Verum, licet modo memorata Rheo ſint communia; tamen raro ita bonum, ut iis notis reſpondeat, in manus noſtras venit. E contrario, vel ex antiquiſſimis temporibus, teſte Mesua *, ſaepe contaminatur. Quin et virtutes ejus prius quam huc perveniat ſubductas a loci incolis Garcius ab Horto certiores nos facit; hodieque, pejoris notae Rheum pulvere optimi vulgo colorari fraudis cauſa, notum eſt. Quin et nonnulli, ut pro Ruſſiano aut Turcico falleret, medium perforare non dubitarunt. Et quidam mercatores avari Rhaponticum vero Rheo ſubjecerunt. Qui dolus, quo certius detegatur, monendum eſt, Rhaponticum longis et gracilioribus radiculis conſtare, tenax et admodum leve ac rarum eſſe, ſapore ſubacri et nauſeae excitatrice, odore vix ullo, manſumque paulo diutius ore, viſcidum ac mucidum adparere, nec ſalivam pari, ac Rheum mox dicetur, inficere flavedine.

Rheum praeterea linguam et ſalivam flavedine inficit, infectaſque diu ſervat; inficit et urinam. Unde, ut et e penetrante amaro, peculiarique tam ſapore quam odore, aeque obſervationibus microſcopicis modo memoratis, variis conſtare partibus videtur. Quam

* De ſimplic. cap. 5. p. 32.

rem

rem effectus liquorum solventium diversorum porro confirmat. E quibus ab aqua, eaque frigida, est incipiendum.

LIQUORUM IN RHEO SOLVENTIUM EFFECTA.

Granum Rhei aquae frigidae librae additum, aquae protinus pulchram floridam flavedinem, item proprium saporem odoremque Rhei, impertit. Quo facto, Rhei pars maxima ad fundum rei cujusvis albi decolorisque instar, protinus praecipitatur. Quod experimentum, quam mirum in modum divisibilibus separabilibusque partibus Rheum constet, et quare exiguum aliquid ejus assumptum adeo cito subitoque urinam et salivam tingat, haud obscure docet.

Aqua frigida, praeter colorem, odorem, et saporem, adstringentem quoque proprietatem aufert. Itaque quarta grani vitrioli viridis pars solutioni modo dictae superaddita, hanc protinus quasi nubibus turbatam in nigrescentem colorem vertit. Quae res, quare in diarrhoeis, dysenteriis, aliisque morbis in resolutione positis, adeo efficax Rheum sit adstringens, commonstrat. Neque hujus ejusdem

dem ſimplicis experimenti fidem, plerorumque ſcriptorum adſtringentem Rhei vim aqua extrahi negantium opinioni opponere timeo. E quibus mirum mihi eſt, quod academicus Gallus, vir clarus BOULDUCIUS, quem adſtringens Rhei ſapor aqua raptus non fefellit, adſtringentem tamen vim ei deeſſe praedicat.

PORRO, aqua frigens purgantem ejus poteſtatem aeque, atque etiam magis, quam calida, abſtrahit. Cujus rei cauſa haec videtur; quod, licet frigida, quam calida aqua, perpetuo fere ſolvenda minus potenter ſolvat; quia tamen e ſubtilibus partibus in quibus, ut poſtea oſtendetur, magna Rhei vis conſiſtit, nihil in vaporem verſum avolat; ideo frigida, ſi non validius ſolvit, ſolvendi plus ad ſe attractum ſervat. Neque haec opinio eſt. Nam, periculo ſaepius facto, ego binos Rhei ſcrupulos, quaternis vel quinis aquae frigentis unciis adjectis, quaternaſque vel quinas horas diſſolvi permiſſos, aeque alvum purgare, ac ſicci medicamenti ſemidrachmam, animadverti. Qua re adductus, reliquias in ternas partes ſeparavi, in unam frigidam, in alteram calidam aquam, in aliam vini ſpiritum infudi.

IN

In neutris aqueis partibus odor saporve memorabilior; sed adstringens vis, per atrum addito vitriolo viridi colorem, sat manifesto apparebat. Denique, alia aqua adfusa, totam hanc attraxit. Quo discitur, plus aquae ad adstringentem quam purgantem virtutem assequendam requiri. Vini spiritus e reliquiis suis saturam satis tincturam adduxit, et nigredine addito vitriolo facta, satis potestatis adstringentis separavisse cernebatur.

Licet aqua frigida, quicquid flavedinem impertit, id omne auferat, idem tamen effecti calida potentius praestat; quia scilicet calor vim solventem auget. Tamen frigidae aquae calida ad Rheum solvendum, si tempus datur, postponenda est; quia partes volatiles, in quibus vis purgans posita est, calore adhibito, pereunt. Quod, quo minus addubitetur, eadem aqua frigida multo durius medicamentum, scilicet Corticem Peruvianum, melius dissolvit; id quod experimenta Percival medici, e Culleno viro egregio praeceptore nostro mutuata, argumento sunt. Quibus compertum est, multo plus virtutum illius corticis aqua frigida, quam quolibet alio humore solvente, impetrari. Neque tamen aquae frigidae tepida interdum non est anteponenda; scilicet,

licet, ubi vel celeritate opus eſt, vel minore ſolutionis copia ; ſi quibus major copia guſtatu ingrata, aut ventriculo moleſta, comperitur.

Ut diu inter Pharmaceuticos ſcriptores convenit, purgantem medicamentorum, praecipue e plantarum genere paratorum, vim magnopere coctione imminui ; ita idem in Rheo noſtro fieri, cum experientia, tum Mesuae, Pechlini, Wedelii, Geoffroii, Bouldocii, et aliorum teſtimonia, per multa ſecula non infirmata, demonſtrant. Itaque ipſe, Rhei decoctionem, ſapore amaro et odore aromatico perditis, prorſus inſipere, mutatoque in obſcuram rubedinem colore, vixque a viridi vitriolo mutabili, guſtu blandiorem quam adſtringentiorem eſſe, neque purgantem demum effectum poſſidere, obſervavi. Ob quam cauſam Rheum neque coquendum, neque ei aquam ferventem adfundendam, manifeſtum eſt. Quod, ſi quando aliis medicamentis coqui debentibus eo affuſo opus erit, ea poſt coctionem ſtare donec prope frigeſcunt, ac tum demum Rheum iiſdem affundi oportebit. Quin etiam, ſi hoc nomine coctio, etiam extractum eſt damnandum.

Omnia

Omnia quae saepius relatus vir Bouldocius plurimis experimentis, hic non dinumerandis, firmavit. Quod autem, secundum ejus infusum aquosum adeo alvum purgavit, id parvae aquae, cujus unciae viginti et quatuor duabus Rhei adjectae sint, copiae in primo adhibitae deberi, non est dubitandum.

Solvente Rheum aquae vi exposita; quae spiritus vinosi sit, proxime dicendum est.

Ubi Rhei aliquantum in spiritu vinoso puro digeritur, fit tinctura elegans et ita flavens, ut in rubedinem inclinet, odore cum sapore gratis, vix aut perexigue amara, viridi vitriolo magnopere nigrans, et, si conferas ad aqueam solutionem, exigue purgans. Adeoque vim purgantem spiritus non aufert, ut superstes huic solutioni Rheum purgandi facultatem servet, et aqua deinceps addita, prope aeque vi Rhei purgatrice saturari, ac si nihil spiritus auferre occupasset, explorantibus videtur.

Adhibito calore, tinctura saturi magis coloris, amara et astringens magis, exigua hic quoque vi purgandi impetrata, evadit. Vis vero purgatrix spiritibus tenuioribus, quales sunt frumenti spiritusve vinosus Gallicus, uberius impetratur. Neque modo dictis cum mea, tum experimentum Bouldocianum, non fidem faciunt. Is tinctura spirituosa,

cum

cum una Rhei uncia facta, cum distillando spiritum segregasset, extractum relictum unius drachmae cum dimidia erat. Superstes vero tincturae Rheum circiter drachmarum sex, et aeque fere eleganter amarum et astringens, ac ante spiritum adhibitum, reperiebatur. Hujus semidrachmam dare consuevit, quae alvum pariter, ac aequa Rhei pulveris copia, purgabat. Unde et aquosa tinctura parata eadem esse, pariterque purgabat, ac experimentis prioribus comprobatae aquosae.

Bouldocius primo igne per distillationem phlegma, odorem Rhei propriumque saporem et vim astringentem possidens, paravit. Cui proxime paratum, acidae magis naturae erat. Postremus ignis tantum olei exiguum aliquid reliquit. Sal e capite mortuo, quod aiunt, extractus tantum exiguus, cum acidis ferbuit. Unde Rhei analysin, ab aliarum plantarum quae generis acescentis sint, haud multum distare liquet.

Si Rheum ad cineres combustum sit, adfusa aqua satis saturum lixivium edit. Quod colatum, emisso vapore, alkalini salis fixi aliquantum, et multum satis terrae, relinquit.

RHEI DIVERSÆ VIRES.

E duabus igitur proprietatibus quas Rheum manifesto possidet, purgans in subtili volatili et minus acri parte consistere omnis videtur; siquidem, ut dictum est, et e calida magisque etiam fervente aqua avolans, in frigida retinetur; et aëri vel in magnis massis multoque magis contritum, si paulo diutius objicitur, eandem purgandi vim amittit. Cui nostrae opinioni MESUA, et omnes post eum scriptores, uno ore assentiunt. Unde etiam torrendi Rhei ad purgatricem vim imminuendam mos videtur ortus. Quin et inter id torrendum pharmacopolis aliisque, per vapores avolantes, haud raro est alvus purgata. Quam partem volatilem gummosam vel salinam esse, eo conjicio, quod solutioni spirituosae quicquid Rhei superat, purgat; ejusdem quicquid aquosae superest purgandi omni facultate caret. Neque hanc opinionem Rhei microscopo inspectio non verisimilem reddit.

CUI autem parti adstringendi debeatur potestas, etiam obscurius est. Cum vero tam frigida aqua, quam calida, item copiosissime spiritus, eam, textura integra, extrahat; ideo

eandem

eandem in partibus terreſtribus, neque aqua neque ſpiritu ſolubilibus, conſiſtere, conſtat. Fierique poteſt ut Rheum ejuſdem naturae ſit, cujus medicina adſtringens et gummi reſina ex Africo flumine Senegal nuper advecta, et in materiam medicam recepta, nomine gummi Kinou; quae pariter in aqua et ſpiritu vinoſo ſolubilis eſt.

Postremo, de hac re orationem concludam, Weddelio lenem purgatricem Rhei vim huic et adſtringenti commixtis tribuenti aſſentiens. Ejus haec ſunt verba: "Laxans quidem ſeu "benigna purgans ratione partium acrium, ſa-"linarum, et adſtringentium, ob commiſtas "partes terreas et auſteriuſculas illas modifi-"cantes."

RATIO AGENDI.

Supra commemorata Rheum ſtimulo ſuo leni recta in inteſtina agere docere videntur. Verum, cum aliorum purgantium effectus inteſtinis ſolis non contineatur, quin et ſanguinis ſimul viis circumferantur; ita idem Rheo uſu venire arbitror. Nam intra dimidiam quam accepta eſt horam urina infecta, tamen

ante

ante ſextam aut ſeptimam, alvum minime movet. Unde, Rheum non ſolum ſanguine acceptum cum eo circumferri, ſed et una cum reliquis humoribus ad inteſtina reverſum illic ſecretionem movere, HUMIO praeceptori noſtro ingenioſiſſimo haud cunctanter aſſentio. Cui opinioni nonnullorum medicamentorum, ut Nicotianae, Scammonii, Hellebori, et ſimilium, quae vel extrinſecus admota purgant, ratio pondus addit. Neque, quod aliae ſecretiones ab aliis purgantibus attingantur, alia ratio reddenda eſt, quam ut illa cum quibuſdam, magis quam aliis, ſecretionibus ſe conjungere ponamus. Poſtremo, cum humores quibuſcum purgantia coeunt adeo in mutationem proclivia ſint, ſuccurrit ratio, quare idem purgans alios homines, et eundem alio tempore, aliiſve ſub rebus, diverſe adficiat. Quod argumentandi genus FERNELIO haud ignoratum eſt. Is "Rhabarbarum magna ex parte " inquit" ſub-"ſiſtit in ventre: Ejus tamen tenuior quae-"dam portio irrepit in venas, vacuandumque "humorem aſſequitur:" Et alibi, " in omnis" ait, " fortaſſe corporis pervadit, et noxium "humorem quaſi vinctum adducit in ven-"trem." In eandem loquitur teſte eodem ſententiam

ſententiam ARISTOTELES: Qui "medicamen-"ta," ait, "ubi ventrem adierunt reſolutae-"que ſunt, ſtatim ad venas, per eaſdem vias, "quibus cibus commeat, feruntur."

QUIBUS poſitis, effecta Rhei, in multis morbis etiam extra primas vias late medendo, et prae caeteris glandularum meſentericarum impedimenta reſolvendo, haud difficilia explicatu ſunt. Neque, ut nonnullis placuit, poteſtas alvum prius ſolutam dein adſtringendi, ex magnitudine purgationis, perinde ac in aliis fit catharticis, ſed e ſola vi adſtrictrice, oritur. Siquidem, una ſaltem aut altera dejectione parta, pariter alvum, ac poſt multas, adſtringit.

QUAE SIT SPECIES RHEI.

HACTENUS radice et proprietatibus ejus expoſitis, nunc tempus eſt cujus ſit plantae docere: Quod priuſquam faciam, haud alienum erit, nonnullas herbas, quas Botanici dicunt, quae, una excepta, alia poſt aliam, a diverſis ſcriptoribus et temporibus diverſis, ex hac naſci exiſtimatae ſunt, enumerare. Earum cum pleraſque vel generis Λαπάθων ſeu rumicum,

rumicum, vel huic affines, esse nonnulli * judicarent; LINNÆUS, qui sua eas natura a rumicibus non alienas † agnoscit, quia tamen notis seu χαρακτηρσι botanicis discrepant, ad separatum genus quod Rheum nominat, relegavit; genusque in quinque species diduxit.

PRIMA species est Rheum Rhaponticum, quae primum omnium nota esse videtur, diuque veri Rhei planta habita est; donec, ut supra memoratum est, a PROSPERO ALPINO pa DIASCORIDIS et a radice Rhapontici esse, demonstrata est.

ALTERA species, quae proxime pro Rheo habita est, Rheum undulatum dicitur. Ea, in Amoenitatibus LINNÆI Academicis, eleganter et describitur et in tabula depingitur.

TERTIA Rheum species Compactum est; quod in Dictionario MILLERUS a vero Rheo edi, minus solito recte, contendit.

QUARTAM Rheum Ribes, nemo, quantum novi, a vero Rheo gigni existimavit.

NOVISSIMA species Rheum Palmatum est. Hoc primus omnium descripsit, et in Actis

* Raii hist. plant. v. 1. p. 116. et Boerh. Ind. plant. hort. L. B. 1727, p. 84.

† Linn. gen. plant. edit. 2do, p. 175.

Philosophicis,

Philoſophicis, anno CHRISTI nati 1765, in lucem, addita figura, edidit vir clarus, reique botanices in primis peritus, JOANNES HOPIUS, botanices in alma academia Edinenſi publicus doctor. Verum, cum ea a planta imperfectiore in horto regio Edinenſi expreſſa ſit, ego aliam, cum verbis quibus ille eam deſcripſit, a planta perfectiſſima in eodem horto creſcente, per CAROLUM BAYNE botanices et ipſum peritum expreſſam, et in Scotica menſtrua charta anno 1767, quae *magazine* dicitur, ab eodem viro praeceptore noſtro in lucem editam, his paginis adpingendam putavi.

RHEUM PALMATUM, LINN. Sp. Pl.
RHABARBARUM verum med.

RADIX ramoſa, perennis.

FOLIA radicalia (ad ſedecim), bipedalia, petiolata; petioli pedales teretes, ſuperne ſubplani, glabri, viridis coloris, ſed in quibuſdam partibus maculis parvis, anguſtis, purpureis, notati, in aliis penitus fere purpurei. Hi petioli, qui ſunt pedales, ad baſin foliorum deſinunt in tres vel quinque coſtas inferne prominentes; folia ipſa ſunt ovata, profunde inciſa, laciniis acutiuſculis; pagina ſuperior eſt viridis, inferior albo viridis, ambae ſcabriuſculae.

CAULIS erectus, ſubteres, fiſtuloſus, articulatus, vaginatus, glaber, obſolete ſtriatus, octopedalis, duas uncias

ad

ad basin in latitudinem patebat. Quatuordecim articuli, quorum singuli a parte infima usque ad nonum; unico folio reflexo instructi fuerunt. Haec folia sunt alterna, et superiora gradatim minora, petiolusque ad suam basin, vaginam membranaceam caulem cingentem format.

PEDUNCULI plures ex alis foliorum prodeunt suberecti, inaequales, (quorum medius caeteris duplo longior), striati, teretes, ad basin planiusculi; exque horum lateribus alii pedunculi simili modo dividendi, vel simplices tenues pedicelli sustentantes nudum florem.

CONFER LINNÆI Genera Plantarum de descriptione partium fructificationis hujus generis, quae apprime in hanc convenit speciem.

FLORUM sapor astringens, herbaceus, subacidus; odor nullus. Foliorum substantiae sapor subamarus, astringens, herbaceus; costarum sapor acidus, subamarus, et proprium aliquid valde ingratum, non facile verbis exprimendum, exhibens. Caulis sapor debilis subacidus.

TAB. I. Rheum verum exhibet.
II. *a* — ejus radicem.
b — folium radicale.
c — ramum florentem.
ddd — tres floris et staminum conspectus.
e — pistillum.
f — semen.
g — idem transversim incisum.


HAEC a plantae in horto medico Petropolitano natae seminibus, quae huc vir praeclarus MOUNSEIUS

TAB. I.



A. Bell Sc

TAB. II.



Mounseius, nuper archiater et medicinae in Ruſſia cancellarius, attulit, procreata eſt. Quam ipſam porro ediderunt ſemina quae, ex extremis Chinae finibus, pharmacopolae, qui illic ad optimum quod in Ruſſiam deportetur Rheum colligendum, publice alitur, miſſu, jam ante venerant. Illa quae a Mounseio accepta ſunt in horto regio botanico et Prieſtfieldii ab Alexandro Dick Equite, nuper collegii regii Edinenſis praeſide, anno 1762, ſata, deinde ita floruerunt, et ſtirpe multiplice creverint, ut non ſolum in his, ſed et in multis aliis Scotiae hortis colantur, ſpemque tanti proventus, quantus ad omnes noſtros uſus ſatis ſit, oſtendant. Eoque id magis ſperandum quo magis planta cuilibet coelo et ſolo accommodata videtur. Certe huic regioni aptam docent tam praeſens creſcendi ſucceſſus, quam loci natalis ratio; ubi gelu et nives tres vel quatuor menſes quotannis impune perfert. Itaque neque cura frigoris defendendi opus eſſe videmus; ſi apud nos ſoli ratio habenda eſt, ſterilius et manu incultum, praeque caeteris leve et arenoſum, ditiori et uberiori anteponendum eſt. Cujus etiam generis ſolum natale eſſe, Bellio teſte, diſcimus. Qui Marmotenſes vicos ſuos juſta loca ubi Rheum

 naſcitur,

nascitur, habere versaque leviore et laxiore terra, semina tantum contegi, nos certiores facit.

Jam memoratis adtexendum est, experimenta de quibus supra relatum est, tam in novae plantae, quae in horto regio Edinensi creverat radice, quam in optimo Rheo officinali, capta omnia esse. Quae inter se et cum Hopianis et aliorum experimentis collata, hoc ipsum quoque Rheum verum officinale esse, certissimam fidem faciunt.

Historia etymologica, naturali, mercatoria, pharmaceutica, et botanica pertextis, proximum est ad proprietates medicinales transire. Primumque ejus communiores, deinde proprios certis morbis, usus commemorabo.

RHEI IN MEDICINA USUS.

Ab antiquissimis temporibus, Rheum ad valetudinem tuendam, et praecipue ad pravae digestioni materiaeque morbiferae, sive extrinsecus seu intus venienti, occurrendum, feliciter adhibitum est, et nunc quoque adhibetur. Unde mandendi ejus aut in primo juris cochleari pulveris seu tincturae sorbendae,

non

non ſolum apud imbecilliores, ſed et bene valentes, mos communis natus eſt. Idem tam ante cibum quam poſt, teſte PAULO ÆGINETA *, gravidae ſumere conſueverunt. Ob eandem cauſam, apud omnes gentes uſus ejus, pro domeſtico carthartico, ad morbis, praecipue per multitudinem eodem tempore graſſantibus, et ipſi peſti obviam eundum, invaluit, ut ZACHARIUS A PUTEO † teſtatur. Item, cum aqua variis rebus natura ſatura, ſero lactis caprini, et ſimilibus praeſidiis, ad victum pertinentibus, ſumi moris fuit.

ET quia mite ‡ efficax, et tutum remedium eſt, ad primas vias purgandas, non ſolum incipientibus ſed praeſentibus multis febribus, praeſertim ubi ſymptomatice alvus praecipitatur, praecipue putridis et nervoſis, necnon aliis morbis, ut dyſenteriae, diarrhoeae, ictero, hydropi, ſcorbuto, et ſimilibus, princeps auxilium fuit.

IN febre putrida nihil liquida alvo moleſtius eſt; curandumque diligenter ut iſta moleſtia neque diutius juſto permaneat, neque creſcat tamen, neque ſubito ſupprima-

* Lib, I. c. I.

† Clav. med. ration. p. 124.

‡ Inſtit, med. Boerh. p. 444.

tur,

tur. Itaque hic ante alia Rheum menti medici respondet; utpote quae leniter purgando noxiam materiam auferat, et contra aliorum alvum purgantium effectum hanc vigentem deinceps relinquit. Calomelanis paucis granis junctum, adversus vermes, hanc febrem saepe comitantes, aliquando post eam permanentes, efficax reperitur.

In nervosis febribus, ubi ventriculus et intestina pessime se habent, atque et supra et infra purgatio necessaria fit, cum haec utraque quam lenissima et quam minime naturae molesta esse debeat; ideo ea alvum purgantia, quae facile agunt, neque hypocatharsis periculum inferunt, neque aegrotantem debilitant, quaeruntur. Cui consilio ante alia omnia Rheum optime respondet.

In intermittentibus febribus, si, ut vulgo assolet, primae viae magna noxiae materiae copia onerantur, multum prosunt supra et infra purgantia. Ex his nihil aeque tutum aut efficax aeque ac Rheum est, dum et purgando noxia satis aufert, et pro amara roboratrice medicina agit; adeo ut ante inventum corticem Peruvianum, e multis arcanis intermittentium febrium remediis quae vulgo jactabantur, hoc in primis fuerit. Quin et, nihil

agente

agente cortice, ſuſtulit morbum Rheum; id quod doctiſſimus praeceptor noſter JOANNES GREGORIUS, in praelectionibus de medendi uſu, commemoravit.

UBI cortex alvum aſtringit, additum Rheum id incommodi, teſte illuſtri medico MEADO, prohibet, corticem ventriculo tolerabiliorem reddit, morbum certius ſolvit, et reditui occurrit.

VERUM in nullis magis morbis quam diarrhoea et dyſenteria dari Rheum conſuevit. Quos morbos ab eo funditus ſublatos, medicorum per omnia ſecula teſtimonia confirmant. Quod ad diarrhoeam attinet, adſtringentis magis quam purgantis proprietatis auxilio fere opus eſt, ad quam parandam a temporibus uſque MESUAE moris fuit, Rheum priuſquam detur torrere. Sic enim, ut ante relatum eſt, pars ſubtilis et diſſipabilis, in qua purgans poſita vis eſt, in vaporem verſa avolat. Adſtringente vi nihil magis efficax adverſus diarrhoeam quae dyſenteriam toties excipit. Eadem adſtringens facultas ad dyſenteriam maxime requiritur; in qua ſummo etiam uſui toſtum Rheum ſaepe fuiſſe, viri graviſſimi teſtantur. E quibus MATTHIOLUS in apologetico adverſus AMATUM Luſitanum

docet,

docet, "Rhabarbarum toſtum non ſolum non "nocere dyſentericis, ſed et prodeſſe." Immo, "ſe ſcire ſexcentos homines curatos," id eſt ſanatos, "rhabarbari hujus uſu," addit. Quin et celeber botanicus Anglus et hiſtoricus naturalis RAIUS "ſe rhabarbaro toſto in dyſen-"teria bono cum ſucceſſu uſum eſſe, etiam in "ſuo ipſius corpore," teſtatur. Verum neque purgans vis, adſtringenti modice praeiens, in diarrhoea omnino inutilis, in dyſenteria utiliſſima reperitur. Quippe in hac fruſtula rotunda ſtercoris duri in colo inteſtino compacta, nihil tranſire ſinentia, et morbum exaſperantia, teſte egregio viro praeceptore noſtro * CULLENO, ſaepe reconduntur. Ad quae abſtergenda, non ſolum purgantiſſima Rhei vis, ſed haec ipſa paucis calomelanis granis aucta, neceſſario poſtulatur. Quae medicina conjuncta, non ſolum durum ſtercus, quod ſcybala vulgo dicitur, ſed et tenacem viſcidamque intus materiam, ſaepe moleſtiſſimam, tam in diarrhoea quam in dyſenteria, repurgatam rite aufert.

SED, praeter hos, nihil adverſus ſive pueri-

* Prael. pract. privat.

les

les plerosque sive seniles morbos potentius est.

Adversus aciditatem et cruditatem, in quas puerilis aetas admodum proclivis est, quaeque diarrhoeam saepe perniciosam faciunt, consuetudo Rhei saepius die sumendi, praecipue una cum absorbentibus, aut pauculis cornu cervini spiritus guttis, et jusculo bovino, cui orizae paululum adjectum sit, adhibito, in primis salutifera est.

Cumque glandularum mesentericarum impedimenta, ex his diarrhoeis neglectis saepe orientia, pessimum morbum et perniciem toties adferant, certe hoc auxilio efficace, nihil est optatius. Hic morbus tenso et amplo ventre, alvoque per consuetudinem soluta, item dejectionibus viridibus aut nigrescentibus, et praeter solitum foede olentibus, cognoscitur. Cibus etiam modo adeo fastiditur, ut servari vitam mirum sit; modo insolita et absurda desiderantur, atque ipse bulimos, qui dicitur, quandoque incidit. Percussus arteriarum citi semper, subinde justarum hecticarum febrium instar, exasperantur. Hinc corpus paulatim contabescit et debilitatur: Urina, quae plerumque limpida est, alternis diebus, quibus pleraque morbi symptomata

se

ſe remittunt, ſedimentum habet. Hic morbus, qui hecticus puerilis Sydenhamianus eſſe videtur, parvis Rhei ſolius aut calomelanis conjuncti doſibus, et prohibetur optime et ſanatur.

Vermibus, quae pueros adeo ſaepe exercent, Rheum quaſi certa proprietate medetur; eoque magis, ſi pauca calomelanis grana ei ſunt adjecta. Purgando ipſas vermes primum, dein mucum ubi nidificant, aufert; adſtringente vi inteſtina ipſa roborat, morboque, quo minus deinde repetat, potentiſſime obſiſtit.

In tuſſi convulſiva, puerili quoque aetati infeſta, ubi mucus, cujus multum ſubeſt, omni ratione rejiciendus emeticis, leniter infra purgantibus et epiſpaſticis tentatur, Rheum, ſimul purgando, ſimul roborando, et ſpaſmo reſiſtendo, magno fit auxilio.

Idem in rachitide non ſolum tutum eſt, ſed habitum paulatim confirmando, et ſeroſum humorem auferendo, ad ſalutem eſſe ſolet.

Neque diro morbo puerili hydrocephalo, praeſertim initio, qua alvum purgando, qua urinam copioſe movendo, non aliquando

prodeſt;

prodeſt; eoque magis, ſi aliquantulum ſyrupi de Rhamno ſit adjectum.

Neque a ſenectute hoc remedium alienum eſt. Qui enim ſenes, acta praeſertim vita quieta, ſive aetatis ſorte, ſeu ob vitae incontinentiam, vitiis ſtomachicis premuntur; iis, ſi purganda alvus eſt, optime purgat Rheum. Quod aut ore mandendi, aut primo juris cochleari ſumendi, conſuetudo, ad ſeram uſque ſenectutem, eos multum levavit Prae caeteris Podagrae aut Stranguriae ſenili, omnium fere alvum ſolventium, ſolum Rheum convenit.

Hanc medicinam non omnibus corporibus aptam reperiri, eamque nonnullas naturas ventris torminibus et aliis incommodis conturbare, haud inſcius ſum. Sed his quae pauca ſunt exceptis; quia naturam minime adgravat, et maxime eſt efficax, Hypochondriaſi adprime convenit. Ubi, viſcidum mucum, qui torporem in canali alimentario facit, expellendo, et viſcera roborando, alvi duritiem adeo hypochondriacis incommodam ſolvit.

Neque etiam in Hyſteria inutile Tonicum purgans eſt. Ubi in Fluore albo ſoluta alvo opus eſt, Rheum, quia ad corpus morbo de-

bilitatum roborandum pertinet, aliorumque adſtringentium uſum tutum reddit, reliquis catharticis antecellit. Qui profluvio haemorroidali opporuni ſunt, iis alvus plerumque durior eſt, quod et facit et factum ſervat morbum; adverſus quod Rheum paucis calomelanis granis, ad vim illius adſtringentem prohibendam, conjunctis, multis hominibus, facilem alvum ſervando, profuit.

Junctumque paucis calomelanis granis in colica flatulenta, et ſolum in cholera morbo, noxiam materiam auferendo, nec inteſtina irritando, magno ſaepe auxilio eſt.

Omnibus ſeculis Rheum antihydropica medicina, uſque a Pauli Æginetae temporibus, habitum eſt. Is in Καταποτιοις θαυμαστοις praecipuam partem Rheum conſtituit. Eraſtus autem "Non ſe ſolum," ait "ſed et alios, ſolo Rhabarbari uſu, percuravit," id eſt, ad integram valetudinem reduxit.

Nullo autem in morbo, quam in Ictero, certior aut ad valetudinem efficacior ejus vis eſt; uſque adeo, ut bilis munus explere poſſe videatur. E cujus effectibus concoctio prava et alvi durities, dato Rheo, multum levari ſolent. Verum hoc in loco monendum eſt, Rheum non ſolum alvum purgandi, ſed

et

et impedimenta vasorum solvendi, habitumque mutandi, usum praestare. Quo id consilio cum sapone aut scillarum pulvere conjungi, pillulisve scilliticis addi, oportebit. Qua ratione paratum "potest," teste celebri Fernelio, "jecur proprie expugnare, idque strenue corroborare, et ejus obstructiones incipientesque scirrhos dissolvere, et icterum sanare."

Quod si haec medicina adeo adversus hydropem potest; ut eadem ratione vasorum lymphaticorum glandularumve impedimenta magis solvendo, et originem morbi tollendo, quam alvum purgando agat, necesse est. Idque eo verisimilius est, quo certius Rheum jecoris tollit impedimenta quae toties Hydropis causa sunt. In quam sententiam Mesua ivisse videtur, qui "major" inquit "ejus," scilicet Rhei, "proprietas est auferre oppillationes, et morbos quorum mater est oppilatio, sicut hydropis in icteritium," &c.

Supra dictum est, Rheum inter alvum purgandam urinam etiam movere. Quo fit ut vitiis Nephriticis, quae a papillarum uriniferarum per arenam, mucum, aut similia, impedimentis pendent, testibus cum aliis, tum illustri archiatro Van Swietenio, parvis dosibus, saepe praesenti sit remedio.

Denique,

Denique, quoties alvus purganda est, omne gonorrhoeae virulentae, sic curandae, consilium nihil magis explet. Siquidem non solum urinam movet, sed minus sumenti ingratum quolibet alio medicamento est: Et, auctore * Fernelio, eximia quoque ejus refrigerans vis est.

In multis aliis morbis cum commodo Rheum adhibetur. Sed praecipuos ejus usus memorasse suffecerit.

MEDICINAE DANDAE RATIO.

Praecipienti medico tria in animo habenda sunt: Primum morbi naturam et consilium medendi tenere; tum remedium ei consilio respondens invenire; postremo inventum remedium ratione tum consilio convenientissima, tum aegrotanti, quantum per hoc fieri potuerit, gratissima dare.

Experimenta supra exposita, Rheum duabus proprietatibus pollere, purgatrice et adstrictrice, ostendunt. Itaque, ut consilio proposito Rheum convenienter detur, sive purgante, sive adstringente, sive utraque proprietate, opus erit, ita dandum est, ut ju-

* Method. med. lib. 4. c. 1.

cunditati aegrotantis consulatur. Finge igitur, exempli ergo, aliquem leviore aliquo adfectu teneri. Isque alicui bilis vitio debetor, Rheo ad consilium opus est. Cujus e paucis granis dandis, si aegrotans adultus est, ea mandi; si puer, pulverem cum syrupo, aut si quid ei gratius est, cum eo junctum sumi, juberem.

Ubi tota Rhei integri vis desideratur, omnibus formis solidum eo antecellit, quod et tota ejus vis sic exprimitur, interque mandendum, saliva eandem magis et plenius explicat.

Dosis quae major aut minor pro corporis habitu, aetate, et similibus rebus, esse debet; communior a paucis granis ad scrupulum aut drachmam dimidiam est.

Si solidum dari, ut saepe, nequit, proximus pulvis est; qui hoc commodi habet, ut qualibet forma et cum re qualibet concinna, assumi possit. Verum neque diu pulvere servandum Rheum est, neque tenuiter conterendum, ne, vel morando, vel, quod factum Mesua testatur, partes minimas aëri objiciendo, vis purgatrix avolet.

Idonea dosis a granis tribus ad drachmam dimidiam est. Haec autem summa esse videtur;

detur; ſiquidem duos ſcrupulos vel etiam totam drachmam nihil amplius drachma dimidia agere video. In quam ſententiam ROLFINCIUS: "Si doſis," inquit, "augeatur, jucunditati vis infertur, et tamen tardae operationis incuſatio non ceſſabit." Quae etiam ſententia a claro viro HOMIO noſtro * defenditur. Ut nonnullorum guſtui ſeu ventriculo conſulatur, pauca corticis cinnamomi grana, vel nucis moſchatae aliquid, vel olei cujuſvis eſſentialis gutta, bene pulveri adduntur.

SI conſilium eſt acutius purgare, tum ſumma doſi dandum eſt, vel cum aliquo alio purgante medicina conjungendum, qualis mercurius eſt, aut pauca Jalapii grana. E quibus tribus vermifuga medicina efficaciſſima, componi poteſt. Exempli gratia, puer decem annorum capiat pulveris Rhei grana decem; jalapii grana quinque; calomelanis grana tria, vel pulveris forma, vel in ſyrupo caryophyllorum quantum ſatis ſit ad bolum formandum, mane, idonea victus ratione habita.

E contrario, ubi adſtringente potiſſimum proprietate opus eſt, ad imminuendam purgantem, torreri Rheum, ſed ante lenem ignem, oportet. Vehementiore enim igni adhibito,

* In prael. de mat. med. acad.

pito, periculum eſt ne una cum purgante et adſtringens pereat proprietas.

Dari etiam pulveris forma, vini cyatho vel quolibet alio liquore commiſtum, licet.

Saepe etiam electuariorum ſtomachicorum et roborantium pars eſt.

Boli quoque forma, cum anodyna medicina, ut conſilio reſpondeat, commixtum, ſaepe, praecipue in dyſenteria, datur, qua forma cruſtulo obvolvi convenit.

Cum vero boli forma nonnullis minus jucunda ſit, eaedem medicamenti partes in pilulas, addito mucilaginis aut ſyrupi quantum ſatis ſit, commode verti poſſunt. Id quod, cum alias, tum praecipue in pilulis mercurialibus laxantibus et in pilulis ſtomachicis pharmacopoeiae Edinenſis fieri videmus.

Praeter autem ſolidam et ſiccam formam, Rheum quoque ſolutum, quod infuſum dicitur, ſaepe, ut dictum eſt, datur. Sed multis liquoribus ſolventibus, quae menſtrua nominantur, et adhiberi quoque poſſunt; aqua vel frigida vel ſaltem egelida tantum, aut leviter calefacta, multum praeſtat; in qua partes medicamenti ſeu proprietates minime disjunguntur. Cumque, ut relatum quoque eſt, primus aquae, vel primum adfu-

ſae

ſae, effectus ſit, vim alvi ſolutricem, impetrare; ubi haec requiritur, Rheum vel in aqua frigida e fonte recens petita, vel cinnamomi vel qualibet alia diſtillata ſolutum, dare idoneum eſt. Ut exemplum detur, pulveris Rhei ſcrupuli duo, flavedinis corticis aurantiorum ſcrupulus unus, aquae fontanae unciis quatuor, prius quinque vel ſex horas ſoluti, deinde colati conjungantur. Atque ſic ſapor ingratus tegitur. Si aqua leniter calefacta eſt, forſitan uncia minus ſat erit. Verum etiam aquae calidae plus, quam vulgo adhibetur, requiritur. Itaque duas vel tres drachmas, cum exigua liquoris ſolventis copia adhibitas, ſaepe videmus. Neque de Rhei ſolius, ſed et de multis ſolutionibus idem eſt dicendum. Quod autem magnae Rhei doſes nihil violentius aut pejus praeſtant; vel aqua certam tantum copiam extrahere, vel corpus certa tantum copia hujus cathartici adfici, credenda ſunt.

Ut partes volatiles facile, ubi in aquam ferventem Rheum immittitur, avolantes pereunt; ita, ſi idem in aqua coquitur, diuque in vaporum copiam verſum avolat, ut plus pereat, quod revera fit, neceſſe eſt; neque vapores, qui inter extractum parandum diſpereunt,

non

non id admodum invalidum reddunt. Itaque BOULDOCIUS grana pulveris viginti quatuor melius alvum purgasse, quam totam extracti drachmam, observavit. Ob quas causas utraque haec Rhei forma, et decoctum et extractum, prorsus rejicienda sunt.

SERUM lactis Rheum optime solvit, multumque olim a medicis, teste MESUA, laudatum est. Is " et de elegantibus" ait " et de melio-" ribus, quae juncta cum eo," scilicet Rheo " magnificant operationem ejus, est aqua " lactis, et proprie quod sumptum est ex ca-" pris." ROLFINCII in eandem sententiam verba sunt, " In sero lactis caprini, macera-" tione et infusione sola, abque ullo caloris " fervore, et sine forte expressione, vis pur-" gandi, quae in tenuissima ejus residit sub-" stantia feliciter extrahitur." Unde discitur, quam bellum catharticum e lactis caprini sero sit. Eadem ROLFINCII verba, quam ille frigidis faverit solutionibus, ostendunt.

CEREVISIA tenuis Rhei virtutes quoque optime exprimit. Cumque et sapor Rhei sic obtegatur, haec forma pueris imprimis accommoda est. Itaque SYDENHAMUS Rhei electi tabulatim incisi drachmas duas, cerevisiae tenuis libras duas in lagenam vitream

 capacem,

capacem, subere mox probe obturandam, immittere et puerili aetati dare, consuevit. Idem de vino dici potest; quod et ipsum certos usus praestat Ita vinum album optime Rheo purgaturo jungitur: adstringentem vim adversus diarrhoeas, dysenterias, et similia, cum commodo adjuvat.

Cum spiritus vinosi adstringendi potestatem potissimum eliciant; in morbis ubi haec requiritur, illi quam maxime puri et meraces, quantum id fieri sine incommodo poterit, esse debent. Ex omnibus vero spiritibus Rheum solventibus nullus aequo, ac vini Gallici aut frumenti spiritus fructu, agit. Ad assequendam igitur utramque Rhei facultatem, catharticam et adstringentem, ubi utraque opus est, si Rheum per se non adhibetur, quod satis, ut dixi ad hoc consilium est; idem prius aqua; qua deinde effusa, spiritibus ad id quod reliqui est potestatis adstringentis parandum, circumfundi oportet. Quae utraque ratio conficiendi totas Rhei proprietates exprimit, idque ventriculo gratius reddit.

Multarum tincturarum spirituosarum, in multis pharmacopoeiis, Rheum pars est; in elixir sacro, magna. Hujus omnibus laudibus efferendi

* Vide ejus opera edit. Leyd. 1726. p. 536.

ferendi medicamenti paululum, in multis affectibus stomachicis, subinde datur. Item, elixir salutare, aut tinctura sennae composita, et sumptu facile et efficax remedium est. Porro, tincturae Rhei, amara et dulcis, elegantes in primis sunt. Quod si pauca amara addenda sunt: Rhei radicis drachma una, flavedinis corticis aurantiorum vel aurantiorum curissaventium drachma dimidia, spiritus vini Gallici unciae duae et dimidia, in balneo arenae diei spatium vase bene clauso digestae, et deinde effusae, conveniunt: Aut ad eandem rem fere hoc CHEYNE medici praeceptum est. Ille de catharticis domesticis haec: Pulveris Rhei electi uncias duas, salis absynthii drachmam unam, corticis malorum aurantiorum unciam dimidiam, cochinnellae drachmam dimidiam, in spiritus orizae libris duabus loco tepido maceratas, dein colatas, reliquis omnibus anteponit. Quae medecina, ut ipse ait, exiguis dosibus pro occasione danda est.

POSTREMO, puerilis aetatis causa Rheum, syrupi sub forma, qualis est syrupus Cichoriae cum Rheo, quive huic etiam praestat, syrupus de senna cum Rheo pharmocopoeiae Edinensis, dari consuevit.

F I N I S.

P.C. DE BRABANT,

MEDICI GANDAVENSIS ET REGIÆ SOCIET. MED. PARISIENSIS SOCII,

AD EXPERT.

D. FERDINANDUM HENRICUM CREMERS

EPISTOLA.



GANDAVI
Typis JUDOCI BEGYN, Typographi Civitatis, habitantis ſub ſigno Angeli.

M. DCC. LXXVIII.



EXPERTISSIME DOMINE,

DIssertatiunculam, quam video bilem tibi exacuisse, ac si directè in te aliquid voluissem, dum, ut candidè loquar, hactenus te natum non suspicabar, eo intuitu conscripseram, ut concivibus Medicorum (id est sanioris Medicorum partis) experimenta & judicium de numquam recidivantibus Variolis patefacerem. Ita scilicet muneris mei

cerent illum unicè, ut plebi imponeret, ſtuduiſſe: quod, ut concivibus innoteſceret cujus genii hoſtes inſitio hactenus debellandos habuerit, fortè hac occaſione debuiſſem facere & nihil reticere; ſed generoſior peperci, &, ne mordacior viderer, epithetum elegi, quod, ut magis humanum, minùs Medicum dedecet.

Neque primus fui, qui CANTWELIUM hoc titulo decoravit: ea lance jam illum ponderatum inveni in Bibliothecis Batavis, quas tu paulò inferiùs me nondum viſitaſſe benignè aſſeris. SOCIETAS ROTTERODAMENSIS in laudatiſſimo opere, quod tibi attentiùs pervolvendum commendo, poſtquam ridicula viri in inſitionem argumenta attulit, addit: (a) „ *Dus verre hebben wy verſchey-*

(a) Pag. 145.

„ *de van zyne dwaeze en verkeerde*
„ *redeneringen maer als met den vin-*
„ *ger aengeroerd, zonder dat wy in*
„ *de wederlegginge der zelve getre-*
„ *den zyn, vermids een ider de zot-*
„ *en dwaesheyd daer van genoeg*
„ *kan zien &c.* Ut hinc pateat me eorum judicium quidem mitigaſſe.

Irritat te porrò me ſcripſiſſe *neminem Inoculationem impugnaſſe, præter ſolum* Ill. Haenium: bonâ veſtrâ veniâ, Expertissime Vir, ſenſum hunc, neſcio qua intentione, parumper alteraſti; addidi enim: nullum boni Nominis Medicum Inoculationem impugnaſſe, præter ſolum Ill. Haenium: Ita poſitum, quod dixi, teneo . . . . & quid voluiſſes quæſo? . . . . Fortè ut Haenio Cremerum junxiſſem? Non noveram: jam ex opusculo novi, & necdum ſinit æquitas.

Nec ſacrilegus, ut innuis, apud egregios in Arte Viros habitus ſum, dum ILLUSTRISSIMUM SWIETENIUM carpſi, tamquam ſibi in ultimo commentariorum Tomo continuò contradicentem: rideret te ipſe candidus ille Vir, qui infallibilis numquam æſtimari voluit, ſi viveret; dum ejus errores, ſervo animo, adeo ſacros te videret putare, ut etiam in generis humani commodum illos demonſtrari & corrigi nolis.

Nec temerarium judicium tuli: cauſam ſcrupulosè perſcrutatus ſum, & celebrem CAMPERUM, non ſpernendum judicem, adduxi; in cujus animadverſionibus, ſi non omnino cœcutis, argumenta, quæ quod dixi probant, invenies ſolidiſſima.

Pax ſit ergo manibus Illuſtriſſimi hujus archiatri, quem ob elegantem

ſtyli ſimplicitatem & ſingularem Doctrinam cum omnibus bonis ſemper gratus colui & admiratus ſum; ſed audacter repeto & ſuperaddo: melius fuiſſet humano generi, ſi quintum commentariorum ſuorum Tomum numquam edidiſſet; aut ſaltem nec de Variolis, nec de Lue Venerea ſcripſiſſet: ea enim in arte Medica, ob primorum operum præſtantiam, eſt æſtimatione & authoritate, ut timor ſit, ne artis Tyrones, quibus diſcernere difficillimum eſt, tam falſa, quam vera, in proximi damnum amplectantur.

Dixi etiam, nec pateris, *temerarium eſſe Medico de Variolis loqui, niſi pervolutis Inoculationis ſcriptoribus:* facilè, bone Vir, tibi erat videre me id potiùs de natura Varioloſi Veneni, quam de Variolarum cura, quamvis & hanc egregiè illu-

ſtrarunt Inoculatores, volûiſſe: & ſi hoc ſenſu rem, ut debuiſſes, digneris intelligere, quinam quæſo, propiùs Variolas inveſtigarunt? . . . . Certiſſimè! ſi Inoculatorum ſcripta, & præcipuè celeberrimorum GATTI & WATSONI experimenta conſuluiſſes, ſcires ſaltem te parum noſſe de natura Veneni Varioloſi; ſcires ſani ſubjecti præparationem pro inſitione, & prophylacticam curam pro naturalibus Chimerica eſſe præſidia; adeoque, nec BOERHAVII levem ſuſpicionem & SUTTONII Empyricen cœcè ſecutus, plebi & artis Tyronibus obtruderes tibi in duabus Epidemicis Variolarum conſtitutionibus bene ceſſiſſe Mercurialia: falſo & riſibili ratiocinio: quia ſcilicet aliqui, poſt ea aſſumpta, benignis Variolis laborarunt.

Maximè te dein urgent ſpuriæ

Variolæ: velles, ſagaciſſime vir, pro ſtabilienda recidivarum opinione, illas omnes pro veris vendere: ſalva pace ego interim dixero latius patere ſpuriarum imperium, quam hactenus à Medicis creditum eſt, & audacter aſſero numquam veras Variolas nonâ, decimâ, aut undecima die eſſe, vel fuiſſe deciduas. Nec me ab hoc judicio retinebit, quod, ut tu dicis, ſanam omnium Europæ Facultatum Medicarum Doctrinam, ſimul cum Lovanienſi, in qua anno 1766. (idem tamen erat pro cauſa noſtra quo anno) promotus ſum, videar reprobare. Eo, amice, vivimus ſœculo, quo liberiùs parumper, quæ ſentimus, proferre licet: ignorantiæ argumentum jam cenſetur & vilioris animæ indicium oculis alterius videre, & in verba Magiſtri jurare, dum notum eſt totam rem Medicam niti, non Ephemeris ſyſtematibus,

ſed experientia & ex ea deducto caſtigatoque ratiocinio.

Supervacaneum porro duco Medicas Facultates, aut artis ſcriptores pro cognoſcendo hoc morbo conſulere; cum enim ſemper periculo vacent ſpuriæ, ab illis cum veris benignis confuſæ ſunt, & parum in earum naturam inquiſitum eſt: quæſtio recidivarum poſt inſitionem his noſtris temporibus accuratiùs coëgit nos obſervare, at ob hanc rationem eò fortè aliquando perventurus ſum, ut peculiari opere ſpuriarum naturam propriùs inſpectam, & utriusque morbi limites, ſim oſtenſurus: interim præter differentias, quas in Flandrica diſſertatiuncula dedi, en quid pro diſtinguendis verìs à ſpuriis obſervaverim: Cl. Cotunnius in opuſculo, quod de ſedibus Variolarum ſcripſit, hæc habet:

(b) „ *Quoties pustulam incipientem* „ *dissecui, vidi cuticulam elevatam* „ *ad pustulæ formam, cutis corpore* „ *intacto, & tumoris immuni; cuti-* „ *culam autem elevabat mucosum* „ *corpus gelatinæ instar expansum.* „ Hæc ultima verba me incitaverunt, ut diversis morbi temporibus pustulas dissecarem. Itaque in fine suppurationis, si pustula (in illis manuum semper experimentum institui) aperiatur, in ejus fundo latet corpusculum membranaceum, lentiforme, album, quod undique liberum, ut oculi cataracta, eximi potest, & quod, dum relinquitur, postea cum pure & cuticula in unam massulam concretum & dissicatum decidit: numquam illud corpusculum, nec aliquid simile, in spuriis inveni; ut credam in illis numquam dari: est

---

(*b*) Cap. 71.

mucus Malphigianus, qui verarum Variolarum ſedes exiſtit; dum ſola cuticula, intacto mucoſo corpore, in veſicam elevatur in ſpuriis, & id vera cauſa eſt, cur maculæ verarum rubicundiores & per plures etiam menſes ſint viſibiles, dum illæ ſpuriarum violacei ſunt coloris & citò evaneſcunt.

Id obſervatum, modò confirmetur, in caſibus dubiis, quales mihi & aliis obvenerunt, omnem litem poſſet dirimere; nam certum eſt, quidquid obloquaris, Exp. Vir, Variolas Spurias dari, quæ Medicis non ſat exercitatis, aut non ſat obſervatoribus imponunt, quia veras ſat bene mentiuntur. Dicis tu vix læſam ſanitatem in ſpuriis; vidi ego è contrà, & certus ſum vix dari alicujus notæ Medicos quin viderint mecum, Febre ſat forti, verbo omnibus ſymp-

tomatibus, quæ & qualia verarum eruptionem præcedere ſolent, ſtipatas: vidi Febrem ad ſextam aut ſeptimam diem extenſam, ubi nempe variæ eruptiones, quod in ſpuriis ſæpe accidit, ſe mutuo excipiebant: vidi non ſolum ſero, aut ſero purulento; ſed vero pure, Flavo, bene coᶜto repletas; quod tu tamen pro caraᶜteriſtico verarum ſigno Plebi vis obtrudere; ea ſemper, qua cœpiſti, intentione, ut ſpuriæ aliquando veræ credantur, & conſequenter, ut ſtet tua de recidivis ſententia.

Longum foret ſingulos errores & nugas, quas ſola opuſculi tui præfatio habet, enucleare & refellere: brevem me fore promiſi; hinc plura prætereo & ad quæſtiones pergo.

Prima eaque tritiſſima eſt: *an dentur Variolæ naturales primæ & ſe-*

cundæ? Id eſt: utrum umquam aliquis bis naturalibus laboraverit. Ad hoc à magnis viris ita reſponſum eſt, ut ego nihil addere poſſim: facta litem hanc debent dirimere: Chriſtianè te exhortor, AMICE VIR, ut ea, quæ hactenus allata ſunt, æqua lance digneris ponderare: Illuſtriſſimus HAENIUS, qui nullo inſtituto, aut viſo forſitan experimento, pertinaciùs præjudicatæ opinioni adhæſit, quam magnum alioquin adeo virum decebat, in tanto Medicorum numero, qui ante inſitionem de Variolis ſcripſerunt, octo tantum potuit adferre Teſtimonia: & qualia precor? Quæ in alia materia adferre erubuiſſet: verum eſt, ut dicis, quod deinde plures Medicos citet, qui, inſitione jam in Europam delata, vixerunt; ſed quales iterum? Antinoculatores; novitatis oſores, quia ipſi nec invenerant, nec noverant; Viros

ſtudio partium ductos, qui plerumque nihil inauſum reliquerunt, ut ſalutari invento nocerent, quos non puduit ſpurias Variolas quo veris vendere, facta fingere, & talia, intolerabili ignorantia aut audacia, allegare, quæ, Analyſi inſtituta, nihil concludunt.

Tu unus pro omnibus exemplo ſis, AMICE VIR, & ex tuorum argumentorum futilitate judicent æqui quales hactenus inſitioni ſe oppoſuerint.

Dicis primò, SWIETENIUM *ideò fortè Variolas ſecundas non vidiſſe, quòd partem praxeos exercuerit in Hollandia* : videretur ſequi ex hoc in Hollandia nullas recidivas dari, (quod verum puto) & tamen paginâ ſecundâ tu ipſe ex tuis obſervatis, quæ fidem mereri & HAENIANIS vis addi, tres caſus adfers. Bone Deus!

quales? Risum teneatis amici Primus est casus juvenis, quem absque alio Testimonio, absque ulteriori inquisitione, ideò concludis veris Variolis anteà laborasse, quòd quatuor aut quinque foveas in facie haberet; ac si à spuriis, aut alia causa cicatrices, foveis similes, habere non potuisset. Secundus est primo similis; sed mater insuper, gravis certè in hac materia testis & quæ spurias Variolas à veris summa perspicacia sciebat distinguere, testatur juvenem quadriennio ante eodem morbo laborasse. In tertio (cui & casum observantissimi Confratris tui potes addere) bis trium annorum curriculo Filiam à Variolis percurasti; sed morborum Historias dare oblitus es: hanc utramque, EXPERTISSIME VIR, det æquus Medicus, & semel, si non bis, Filiam illam spuriis laborasse promitto me ostensurum.

Neque puto te seriò rem tractare, dum MORTONUM adfers, ut probes Parisinos terque quaterque Variolis laborare: Anglus erat MORTONUS, & in Anglia Medicinam agebat: CHIRAC ad altum usque senium Parisiis praxim exercuit, & recidivas negat: hæc duo Testimonia, seposito paulisper præjudicio, tu ipse pondera.

Sed quid tempus tero his rejiciendis, quæ nequidem ad insitionis caussam pertinent; detur enim post naturales variolas recidivas dari, non sequitur ideò idem fieri posse post insitionem, sub cujus operatione pus fortè intimiùs sanguini miscetur: quin etiam pro hac Prophylaxeos methodo argumentum erit, cùm post eam, quidquid unguibus & rostro conati fuerint Antinoculatores, nullus recidivæ casus hactenus probatus fuerit.

Ut hanc veritatem, in reſponſione ad SECUNDAM QÆSTIONEM infringeres omnia tentas, EXPERTISSIME VIR: gazulas ſedulò conſulis, & verè Hippocratici Medici More, ex eis probationes tuas excerpis: mendacia profers innumera de ſpuriis, & clarè demonſtras te unam tantùm Speciem, eam ſcilicet, quam nulla Anus non novit, cognoſcere. Itàne, dic candidè, omnem Medicinam agis? Similine fundamento & ratiocinio indicationes ſumis, & ægris præſcribis? . . . . Heu miſerum humanum Genus!

Nec totum eſt; ſed authoritatem KIRKPATRICK audes proferre pro ſtabiliendis poſt inſitionem recidivis, & poſt ASTRUC dicis illum tres caſus, qui id probant, confiteri: ſed neuter veſtrûm, ne dicam vos ſenſum malevolè voluiſſe invertere, virum

umquam intellexit ; nam rumores reinfectionis ſparſos enarrat tantùm, dum expreſſis verbis interim ſuſtinet inſitionem à recidivis præſervare, dicit enim? (c) *Quamvis ſummo jure arte infecti à reinfectione immunes dici poſſint, cùm tamen à paucis annis contrarium prælo datum fuerit, ad diſcuſſionem Procedemus.* Et paulo poſt: (d) *ſi inciſio inflammata fuerit, quamvis etiam leviter; ſi æger febricitaverit, & parvus numerus puſtularum, quæ ſuppurantur & ſtadia benigniſſimarum Variolarum obſervant, appareat, minimè dubitabo de ægri immunitate à recidivis.* Vellem ut articulum, ubi hanc materiam tractat præclarus ille inſitonis pro-

---

(c) *Tho we might very conſequently aſſume te future ſecurity of thoſe infected by art ; yet ſince the contrary has been affirmed in print a Few years ago, we proceed to a diſcuſſion :* fol. 134.

(d) *If the inciſion has inflammed, though but moderately; if there has been a fever, and a ſmall number of puſtules, wich ſuppurate and obſerve the ſtadia of the gentleſt diſeaſe, appear, j shall not doubt my ſelf of the patients ſecurity.* Pag. 159.

motor, totum perlegeres, Exp. Vir insigne exemplum Antinoculatorum malitiæ tibi occurreret: quidam enim Jones scripserat se Inoculationem tentasse, nec tamen approbare; præcipuè, quia infans duorum annorum, tribus post illam Hebdomadibus, iterum Variolis, eisque numerosissimis, laboraverat. Inquisitum in hunc casum est à veri amatoribus, & eò ventum post varias altercationes, ut impostor tandem litteris ad D. Jurin datis (& quarum Copiæ à Kirkpatrick referuntur) coactus fuerit confiteri fictam esse integram Historiam, & se non solum numquam insitionem tentasse, sed etiam nescire quid esset.

Tam iniqua basi partim nituntur rumores recidivarum post insitionem; partim debentur spuriis, quas Medici bona fide, sed incuria, aut ignorantia benignas veras pronuntiant;

vel fraude, nocendi animo, tamquam tales Plebi obtrudunt. Posterioris classis erat casus, qui mihi præterito anno contigit, & id omnibus, qui oculos habent & videre volunt, missis aliis signis in Flandrico libello descriptis, ex sola cita macularum disparitione confido me demonstrasse: nec dubito, quin Expertissimus Dominus VAN GHERT, cujus libellum mihi comparare jam non potui, idem fecerit, & victoriosè, si tu sapere posses; si enim quid in re judicem, quam tantùm ex confusa tua descriptione novi, primo aspectu spuriæ fuerunt Variolæ, quæ hodie prodibant, cras elevatæ erant & transparentes. Nec contrà facit, ut tu putas, quod expertissimus ille Vir sexta vel septima die turgidas pustulas adhuc invenerit, & filum per illas trajecerit; cum ad octavam, nonam, imò decimam diem, cum DAVIDE

Sculzio, repletas ſpurias viderim: quin id certo ſenſu in illa ſpecie, quæ tertia die collabitur, aliquando fit; ubi ſcilicet variæ eruptiones ſe mutuò excipiunt, quod in caſu Exp. D. Van Ghert concludo accidiſſe ex eo, quod quinta die æger adhuc Febricitaverit.

Intimè itaque convictus repeto, Exp. Vir, non ſolùm in Anglia, ubi 60. annis viget inſitio, ſed nullibi locorum recidivæ exemplum dari poſt hanc methodum ritè inſtitutam. Sed gratis demus dari; dum ſuſtines, etiam poſt naturales, homines recidivas pati poſſe, ut invento noceas, probandum tibi manet ex determinato numero arte infectorum plures reinfici, quam ex eodem numero naturales paſſo. Laborem hunc perſpicaciæ veſtræ & mathematico ra-

tiocinio relinquo; & pergo ad tertiam tuam quæſtionem.

Hæc eſt : *numquid ab inſitione fruſtrà inſtituta nemo detrimenti quid capiat ?* Ego nihil omnino nocere poſſe reſpondeo. Medici, parochi &c. continuò ſine noxa vivunt in atmoſphæra Varioloſa : cur obeſſet inſitio ? Centies in me, exemplo aliorum Inoculatorum, experimentum feci : fruſtrà fit quatuor aut quinque ex centum : ſemper ſine damno, ſi levem vulnuſculorum inflammationem per 2. aut 3. dies aliquando durantem excipias. Nihil hic faciunt pauci caſus, quos adfers, dum non valet conſequentia : *poſt hoc, ergo ex hoc.*

Petis quartò : *an ejusmodi fruſtranea Inoculatio, potiſſimùm ſi iteratò fruſtranea, ſecuritatem Homini*

præstet, fore, ut Variolas via naturali numquam contrahat?

Si simplicem methodum grajæ mulieris constanter secuti fuissent Inoculatores, numquam mota fuisset hæc quæstio; sed infidûs filorum usus fecit, ut aliquando hæc operatio effectum non sortita sit. In tali casu, qui hanc operationem subierant erant, ac si non subiissent, & postea naturalibus Variolis, aut artificialibus denuo, potuerunt affici: vitium itaque artificis est, non artis; & ad hoc punctum ita in Flandrica dissertatione puto me respondisse, ut mirer te, qui legisti, huc rediisse: denuo ergo cogor repetere: insitio, more Suttonii, Dimsdalii &c., id est, recenti pure verarum Variolarum (*e*) lanceolâ vulnusculis indito, per-

(*e*) Dico *verarum Variolarum*, ob sequentem casum, quem, dum hæc scribo Dominus Limbourg, hic ad

acta, certissimam securitatem Homini præstat, fore ut Variolas via naturali numquam contrahat, & inutile est hanc operationem. Ita peractam, ubi effectum non sortitur, repetere: probavi argumento, quod convincere te debuisset; dum scripsi Inoculatos in nosocomio Londinensi immediatè post hanc operationem, non solum artificialibus Variolis affectos, sed etiam naturalibus decumbentes frequentare, & per omne

---

fontes spadanos Clarissimus Medicus, mihi refert: ut duobus infantibus Variolas insereret Exp. ille Vir, tertium infantem naturalibus benignis, ut putabat, affectum ad ædes suas ferri curavit: pus ex pustulis sumpturus vidit insolitum Variolarum genus, quod ad spurias pertinere suspicatus est; illo tamen pure, ob inopiam alterius, operationem instituit: post aliquos dies ortæ sunt levissimæ turbæ, & apparuit irregulare exanthema citò evanidum: infantes ergo integrè sanos parentibus restituit, quos eodem tempore candidè de suspicione sua & recidivarum periculo commonefecit: & revera post unum alterumve annum alter naturalibus, alter artificialibus decubuit.

Libri ad manus jam non sunt; sed idem alicubi legisse memini certè tales casus pro recidivis post insitionem possent imponere, & pro tali habitus fuisset suprascriptus, nisi eâ perspicacià & candore fuisset CLARISSIMUS DOMINUS LIMBOURG, ut Variolas, ex quibus pus sumebat, aliquid à veris diversum habere vidisset, & parentibus dubium suum communicasset. Forte similis casus fuit ille quinque infantum claustaliensium de quo. Pag. 4.

reliquum tempus confequenter verfari in aëre Variolofo.

His confideratis, non mirum videri debet, EXP. VIR, HAENIUM, aliofque, cafus adferre, in quibus, infitione fruftrà peracta, Homines poftea denuò artificialibus, aut naturalibus laborarunt; uti nec mirus tibi videri debet cafus D. CASSA: vitium femper methodi eft, & minimè in talibus recurrendum ad difpofitionem: ipfa enim infitione bona methodo peracta, fat fuperque probatum eft, errorem effe cum magno SWIETENIO credere *corpora noftra non femper apta effe ad fufcipiendum virus.* Nec huic meæ fententiæ obeft cafus, quem ex tranfactionibus Philof. adfers; (*f*) COTUNNIUS enim partes internas numquam Variolari probat, & tamquam talem confiderat fœtum,

(*f*) De fedibus Variolarum. Cap. 67.

quem consequenter umquam in materno utero hunc morbum passum negat, omnesque Historias Variolosorum fœtuum à mulieribus acceptas, non à cordatis & oculatis testibus, quorum peritiæ & fidei stare possis, visas contendit.

Urges quintò: *num inoculatæ Variolæ febrem suppuratoriam ignorent; hinc semper & discretæ sint & benignæ?* æquè accidit illa febris artificialibus, ac naturalibus, ubi par est Pustularum numerus; sed rarissimè accidit insitivis, quia semper paucæ numero sunt, & ob eamdem rationem sunt semper benignæ: exceptiones adeo raræ sunt, ut tu, EXPERTISSIME VIR, qui omnia, quæ adversùs insitionem sunt, in immensum multiplicare soles, ex tot Inoculatorum millibus tantùm sex septemve casus adducas, & qui bene adhuc perspecti ad in-

ſitionem non pertinebunt: quin imò ad tantam penuriam, ut ad hanc quæſtionem reſponderes, perductus es, ut DIMSDALII ſenſum invertere fueris coactus, & pro more non erubueris: dicis enim hunc Virum pag. 2. dicere: „ *Symptomata artificiales* „ *ſubſequa non ſemper eſſe benigna,* „ *quin imò & in difficultate & nu-* „ *mero quandoque* NATURALIBUS ES- „ SE PEJORA." Quod an inſignis ille Inoculator umquam cogitaverit quiſque judicet: en ejus verba: (*g*) „ Numeroſiſſima praxis in hac Artis

---

(*g*) *A conſiderable share of employment in this branch of my profeſſion has for upwards of twenty years occurred to me; and altho j have been ſo fortunate as not to loſe a patient under Inoculation, except one Child, about fourteen years ago, who after the eruption of a few diſtinct Puſtules died of a Fever, which j eſteemed wholy independent of the Small-Pox, yet j moſt acknowledge that in ſome caſes the Symptoms have coſt me not a little anxiety for the event.*

Nor have the ſubſequent effects of this practice always been ſo favourable as one could wish; and tho' far from equalling thoſe which too often follow the natural Small-Pox, either in reſpect to difficulty or number, yet they ſometimes gave no ſmall uneaſineſs to the Operator.

It cannot likewiſe, it ought not to be concealed, that ſome of the Inoculated have died under this Proceſs, even

„ meæ parte jam per 20. annorum „ decursum mihi obvenit, & licet „ adeo felix fuerim, ut neminem „ sub insitione perdiderim, excepto „ jam elapsis quatuordecim annis in- „ fante, post eruptionem paucarum „ Pustularum, febre, quam nihil „ cum Variolis commune habere ju- „ dicabam, mortuo, fateri tamen „ cogor Symptomata in aliquibus „ casibus non parum me reddidisse „ anxium de eventu.

„ Neque effectus insitionis semper „ tam fausti fuerunt, quam optari „ posset; & QUAMVIS SYMPTOMATA, „ QUOAD DIFFICULTATEM ET NUME- „ RUM MULTUM DIFFERANT AB IL- „ LIS, QUÆ NATURALES VARIOLAS „ ORDINARIÒ SEQUUNTUR, non par- „ vam tamen difficultatem aliquan- „ do Inoculatori pariunt.

---

under the Care of Very experienced Practitioners; But this number is so small, that when compared with the Mortality attending the natural Small Pox, it is reduced almost to a Cypher.

„Reticeri quoque nec poteſt, nec
„ debet aliquos SUB INSITIONIS DE-
„ CURSU, etiam ſub cura expertiſſi-
„ morum practicorum eſſe mortuos;
„ ſed numerus ille adeo exiguus eſt,
„ ut cum naturalium Variolarum
„ mortalitate collatus fere evaneſcat
„ in Zero.

Quis hic videt Symptomata artificiales ſubſequa quandoque naturalibus eſſe pejora? Quis non videt præcisè contrarium? Plaudo ergo tibi, BONE VIR, quod pro textuum corruptoribus non alia pœna, quam ignominiæ, ſtatuta ſit; quod ſi eſſet tamen, ut fortè deberet, ubi falſificatoris mens eſt Populo imponere, in illis quæ ad ſalutem ejus ſpectant, ut inſitio, minùs audacter certè relabereris; nec ad quæſtionem ſextam, *nulline ab inſitione moriuntur*, illico reſponderes DIMSDALIUM teſ-

tari aliquos ab inſitivis Variolis eſſe mortuos; dum, ut vides ſuperiùs ex accurata & ſimplici traductione, ſi Linguam Anglicam non intelligis, quod Author ille, non ab inſitivis Variolis, ſed ſub inſitionis decurſu, aliquos eſſe mortuos, afferat.

Et quidni aliqui ſub inſitionis decurſu morerentur? à ſola Varioloſa peſte, non ab aliis morbis præſervat hæc operatio: tanta autem mortalitas infantili ætati propria eſt, (*h*) ut probabile ſit ex mille, etiam ſi hanc operationem non ſubeant, tempore trium ſeptimanarum, quæ inſitionis decurſum efficiunt, unum alterumve morbis huic ætati propriis moriturum.

(*h*) Calculo in Anglia facto conſtat ex mille infantibus 350. circiter ante expletum ſecundum annum mori; moriuntur ergo decem circiter tempore trium ſeptimanarum, adeoque, ſi illis mille inſitio fieret, decem non à Variolis inſitivis, ſed ſub inſitionis decurſu morerentur.

Sed & ipſis Variolis ſub inſitionis decurſu mori aliquis poteſt: qui ſcilicet naturali via ante hanc operationem infectus erat, naturalium periculum experietur. Is timor Authores juſſit Inoculatoribus ſuadere, ut tempore Varioloſæ Conſtitutionis epidemicæ, ne famæ ſuæ & invento nocerent, ab hoc methodo abſtinerent: talis tamen caſus mihi & aliis, qui ſuperinfectionem impoſſibilem ſciebant, & quibus ſatis erat *nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa*, obvenit, & adhuc fortè deinceps obveniet, dum ab hac prophylaxi inſtituenda, ſæviſſima etiam ingruat conſtitutio, non abſtinebo..... Medico *ſalus populi prima lex eſt.*

His omnibus conſideratis, mirum videri debet, & ſummum hujus methodi beneficium demonſtrat, quod in Noſocomio, quod Londini pro

in insitione est, ex 1400., qui à 31. Decembris anni 1774., ad 31. Decembris 1775., hanc operationem subierunt, nullus desideratus sit, (*i*) & quod ferè cum eodem successu semper ibi & ubique jam vigeat insitio: quid enim illius benignitati detrahunt, Exp. Vir, pauci illi, quos allegas, casus? Quorum numerus, quamvis omnes tibi darentur, ut Dimsdalius reflectit, cum mortalitate naturalium Variolarum collatus ferè evanescit in Zero.

Septima tua quæstio est: *an inoculatas Variolas passi nulla umquam incommoda morbosque alios sibi inde contrahant:* bimembris videtur hæc; petis ergo primò: *an alii morbi cum veneno Varioloso sanguini non pos-*

(*i*) Id non repugnat Mortalitati Infantum, de qua supra: requiritur enim septem annorum ætas in illis, qui in hoc Nosocomio pro insitione recipiuntur; adeoque jam morbos Infantum ut plurimum superarunt.

ſint inſeri : ſed id non fit in naturalibus, cur in artificialibus fieret ? Deinde pus, ex lue venerea infecto, deſumptum non dedit, niſi benignas Variolas. Videtur tamen aliquibus obſervatis conſtare morbillos & ſcarlatinam eruptionem, ſed abſque periculo, cum Variolis poſſe communicari. Omnis difficultas tollitur ſi dicatur Inoculatorem prudenter pus eligere.

Secundo vidêris in hac quæſtione petere : *an nulla incommoda, aut morboſæ reliquiæ poſt inſitivas Variolas timendæ ſint* : ut ſunt viſus deperditio, abſceſſus, ulcera, oſſium caries &c. In naturalibus illa plerumque fiunt; ſed ſaltem ea proportione minùs in artificialibus, qua numerus puſtularum minor eſt, quam in naturalibus; ergo rariſſimè poſt inſitivas : caſum, qui mihi ac-

cidit, ubi oculus, ſi non perditus, ſaltem macula deturpatus eſt, in Flandrica diſſertatiuncula non reticui; ſed adeo rarò ſimilia evenire ſcio, Exp. Vir, ut te mendacii convictum habeam, dum in reſponſione ad decimam quæſtionem dicis *illuſtres Familias Batavas pluribus ejuſmodi deformitatibus, etiam cum vitiis alterutrius oculi, ſuperbire.* Certè, ſi Vir es, & quid generoſi ſanguinis tibi in corde ſalit, non ſolum Antinoculatoribus, quorum omnium cauſam ſuſcepiſti; ſed & propriæ famæ tuæ hujus allegationis probas debes; quibus orbem & inſitionis Patronos præcipuè convincas te non temerariò, ſed factis & generis humani bono inpulſum in hoc inventum inſurrexiſſe. Interim

Octava quæſtio (*k*) inutilis tibi

(*k*) Numquid non propagent Inoculatæ contagium?

viſa fuiſſet, ſi inſitionis ſcriptores pervolvere voluiſſes nullus enim cordatus eſt, quin dicat inſitivas Variolas contagium propagare; minùs tamen iterum, quam naturales ea proportione, qua numerus puſtularum minor eſt, quam in naturalibus: vide ultima DIMSDALII opuſcula.

At falſum eſt inſitionem epidemicam hujus morbi Conſtitutionem poſſe accendere : requiritur ad hoc ſi neſcis, EXP. VIR, particularis, non facilè deſcribendus, Variolis Favens aëris ſtatus, quem inſitivæ Variolæ, utut multiplicatæ, ponere nequeunt : Gandavi à quinquennio, hoc anno excepto, nùllæ fere fuerunt naturales Variolæ; frequentiſſimæ tamen artificiales. Idem ubique obſervatum.

Ad nonam (*l*) quæſtionem reſpon-

(*l*) Certine ſumus fore ut Inoculatas Variolas nunc

di, dum ſuperinfectionem impoſſibilem eſſe ſuprà innui, & ad decimam (*m*) non ego, ſed Pueri & Anus, tum Gandavi, tum alibi, ubi inſitio viget, reſpondebunt: unicè reflectam caſum juvenis ab artificialibus defœdati eſſe rariſſimum, & patrem verius dixiſſe, quam tu putas; certum enim eſt expertum Inoculatorem ex facie illos pluries diſtinguere, qui graviùs inſitione laboraturi ſunt; & illos præcisè eoſdem eſſe, quos lethaliùs aggreditur hic morbus, ſi naturali via inficiuntur. Vide, ſi lubet, CAMPERI opuſculum de emolumentis & optima methodo inſitionis.

Undecima Quæſtio (*n*) nihil ad-

---

expectantibus, nec præcedat, nec accedat contagium naturalium? Sin minus, an à duplicata cauſa Variolæ non atrociores expectandæ?

(*m*) An ſaltem Inoculatio cuſtos venuſtatis audit?

(*n*) Num menſium fluxus ſub decurſu naturalium accedens generatim ſit lethalis?

versùs insitionem facit, & responsio omnibus Medicis notissima est: secus est de duodecima. Si alicubi, Exp. Vir, aut ipse cœcutire, aut plebi imponere studuisti, in hac responsione est: & mirabitur posteritas post sexagesimum introductæ insitionis annum, post instituta bis centum mille experimenta, & eo tempore, quo maxima pars patrum familias felici hujus methodi praxi de summo ejus beneficio convicta erat, adhuc extitisse Medicos adeo factorum ignaros, ne dicam impudentes, ut peterent, *num plures naturalibus quam insitivis Variolis morerentur.*

Profectò, Exp. Vir, si proximi infortunia, ut Hominem & Medicum præcipuè decet, te umquam tetigissent, funera & strages naturalium Variolarum ità dolore tuo annotasses, ut non solùm hanc Quæstionem

non proponeres, ſed cum SYDENHAMO, & omnibus humanis Medicis *bene jam tecum agi putares, ſi numquam deinceps ad Variolis laborantes accerſereris* : quin eo te duceret commiſeratio, ut, miſſis ſyſtematicis & ridiculis ratiociniis, vanis figmentis, & futilibus teſtimoniis, quibus hactenus inventum, de quo, cùm nihil videris, nihil noſti, aggreſſus es, poſt omnium totius Europæ alicujus notæ Medicorum hortatus, experimenta tu ipſe, cùm alienis uti neſcias, inſtitueres : ita collatis naturalibus cum artificialibus Variolis, & visâ, ſine præjudicio, utrimque causâ, non ſolum non temerariò judicares, ſed & id ſemper tibi decori foret te, ut ad veritatem, perpetuum Medici ſcopum, pervenires, nihil neglexiſſe.

Hæc omnia reticuiſſem, EXP. VIR,

ſi unicè errares: humanius id eſt, quam ut opprobrium mereretur; ſed quis ſedato animo & ſine indignatione videre poſſet te naturales Variolas pro benigno morbo plebi velle obtrudere? & eo quidem tono & audaciâ, acſi id conjugi conjugem adhuc lugenti, parentibus prole orbatis, & populis Reges ſuos, hac peſte ſublatos, deſiderantibus, ſperares te perſuaſurum.

Sed, ne temerariò te carpſiſſe videar, analyſim reſponſionis tuæ inſtituamus.

Ergo primò benignas Varioloſas conſtitutiones recenſes, in quibus tantùm unus ex 89., unus ex 200., quin unus ex 11600. periit. Falſiſſima illa, etiam in benigniſſimis naturalibus, demus pro momento: quid probant, quæſo? nihil. Ad ſummum,

benignas Variolas non esse admodum lethales: sed hoc tam parùm ignorabamus, ut ideo insitivas minùs lethales dicamus, quam naturales benignissimas, quia illis semper benigniores sunt.

Sed & ea fraus tibi cum omnibus Antinoculatoribus communis est, quod illas constitutiones prætervadas, in quibus quarta, tertia, quin imò dimidia pars omnium periit, quos hic morbus invaserat: si libri ad manus essent, plures tales horrendissimas, & quæ hunc morbum pesti assimilari fecerunt, possem adferre.

Post computum adeo iniquum audes dicere *Crassissimum errorem fuisse Inoculatoris Gandensis, quo plebi insinuavit septimum à naturalibus mori:* certè Exp. Vir, si erravi, non eo sensu fuit, quo tu capis; laxio-

rem enim, quam par erat potiùs calculum inſtitui: DIMSDALIUS, quem candidum Inoculatorem tu ipſe fateris, poſt JURINUM, Variolarum mortalitatem ſedulò examinans invenit, ex 760098. Hominibus, 32. annorum ſpatio defunctis, 268529. Infantes fuiſſe, qui necdum ſecundum ætatis annum expleverant, & qui conſequenter omnes fere morbis huic ætati propriis erant erepti: his ſubſtractis ex priori numero, remanent 491569., ex quibus mortalitas Variolarum haberi debet, ſed ſimul invenit eodem tempore ex illis 66515., qui plus quam octavam partem efficiunt, Variolis fuiſſe mortuos: ſi jam conſideretur plurimos ex illis 491569. eſſe mortuos, abſque eo, quod umquam hoc morbo laboraſſent, non mirum videbitur virum illum, poſt exactam in diverſis locis inquiſitionem, inveniſſe, quod unus moria-

tur ex quinque, qui Variolis naturalibus inficiuntur. (*o*)

Vides computationem illam multum à tua differre: nec mirum, SAGACISSIME VIR, tu ex aliquibus benigniſſimis conſtitutionibus, DIMSDALIUS ex omnibus ſimul ſumptis, quæ 32. annorum ſpatio evenerunt, concluſit: uter accuratior fuerit, utri fides habenda ſit judicent æqui, atque ex hoc calculo artificiales Variolas conferant cum naturalibus.

Objicies: ita in Anglia computatum, mitiorem apud nos morbum eſſe. Neſcio: nos, gens dura, necdum eò pervenimus, ut mala noſtra, quo remedia promptiùs & feliciùs adaptaremus, metiremur; ſed ſuppone. Septimum poſui, dum DIMSDALIUS quintum habet; & fere cer-

(*o*) *Thoughts on general and partial Inoculation* 1776., *fol.* 13. *& ſeq.*

tus ſum me ſic Variolarum mortalitatem mitigaſſe.

Sed eo tandem te invitum quaſi, urget vis veritatis, ut fatearis plures naturalibus mori, quam artificialibus: miror candorem: reſtringis tamen; cauſam enim dicis, quod Medici, etiam in ſplendidis civitatibus, vìx ad Varioloſos vocentur. Si ſapuiſſes, Amice Vir, hoc argumentum numquam tetigiſſes; illo enim confiteris naturales Variolas in genere periculoſum morbum eſſe, aut ſaltem Medico plurimùm indigere, quod verum eſt, & adeo quidem, ut omni adhibita cura, ipſis clariſſimis Medicis teſtibus, magna pars Varioloſorum ſervari nequeat; ſed ego è contra dico inſitivas Variolas adeo benignas eſſe, ut turbæ, quas excitant, morbus dici non poſſit &, ut, pauciſſimis exceptis caſibus, quique in-

ſitioni adhuc non debentur, Medico numquam indigeant. Stupes, acſi paradoxum protuliſſem; mecum tamen ſentires, ſi experimenta vidiſſes, aut Inoculationis Hiſtoriam pervolveres; invenires enim Conſtantinopoli Græcæ mulieri & ubique SUTTONIS, qui artem Medicam omnino ignorabant, æque benè ceſſiſſe inſitionem, ac exercitatiſſimis Doctiſſimiſque Medicis.

Facit hæc, incredibilis ignaris, inſitivarum Variolarum benignitas, ut hactenus neminem viderim, qui inſitiones peragi earumque effectus ſequi & obſervare voluit, quin (pertinaciſſimus etiam antea fuerit Antinoculator) illico ſententiam mutaverit, & huic invento faverit; aut ſaltem, omiſſis reliquis, ei unicæ adhæſerit objectioni: *Variolas poſt artificiales recidivare*; ita ut indies,

quidquid tu imagineris, EXP. VIR. extendantur hujus methodi fines, & sperari possit pro generis humani bono: (nisi populatio tibi malum videretur) fore, ut post paucos annos fiat universalis; quod ut in hac patria saltem citiùs fiat, & vincatur vanus recidivarum timor, omnes quotquot sunt, quibus hanc operationem peregi, sive secutæ fuerint Variolæ, sive non, impossibilitatis recidivarum intimè conscius audacter exhortor, ut sese contagio Varioloso imposterum liberè exponant.

Sed quid plura? jam inde satis mihi & ad nauseam tædiosum fuit toties & à tot celebribus Viris dicta repetere: longum dein foret singulos errores, quos responsio tua ad hanc Quæstionem ad singulam ferè lineam habet, attingere & refellere. Aliqua etiam me puduerunt, quia

à Medico prolata erant: ut dum ex opere ſpurio MAGNUM BOERHAVIUM vis cogitaſſe, quod, qui benignis tantùm laboraverunt, confluentes Variolas adhuc ſemel timendas habeant, & dum in re merè Medica mihi ſententiam Theologiæ Doctoris HŒUFFT objicis: GALILEI memini hac occaſione, EXP. VIR, & timui, ne eâdem viâ me, cui ratio & experientia ſola motiva ſolent eſſe, terram ſtare, ſolem moveri credere juberes.

Quod ad VELSII caſus attinet, illos EXPERTISSIMO huic VIRO defendendos relinquo: in tota inſitionis Hiſtoria ne vel unum ſimilem reperi; ut magis ideo mirer, id idem utrique Sorori eveniſſe: quid ſuſpicer non audeo dicere: Variolas, aut earumdem ſequelas in cauſa eſſe ſaltem non credo, internis hæc funera

adſcribi nequeunt, cum Anatomicæ cadaverum inſpectiones, teſte Cotunnio & aliis ſedulis Viris, illas non dari probent: neque ullus ſanæ mentis Medicus reſumptum Puſtularum, quæ quinquaginta numero & jam ſiccæ erant, pus accuſabit; alioquin ſimiles caſus innumeri poſt naturales etiam benigniſſimas deberent accidere: tam parum dein puris in artificialibus Variolis reſumitur, aut reſumptum tam parùm nocet, ut in illis, tempore ſex annorum, quibus hanc praxeos partem exerceo, nullum furunculum viderim ſuperveniſſe, quos tu tamen, ſemper quia benignitatem inſitionis ignoras & numquam experimenta vidiſti, magis artificiales, quam naturales dicis ſequi.

Quis ſeſe compeſcet, Amice Vir, & ab indignatione ad riſum non

transſibit? Ubi poſt tot exaratas nugas, poſt tot allata primò falſa & negata primò vera, te ad finem Quæſtionum videt uti Verſu Virgiliano:

Conticeo tandem factoque hic fine quieſco;

Acſi opus immortale & tanto hiatu dignum exegiſſes: profectò: ita te amo, ut vellem, tu ipſe, quam ridiculum id ſit, ſentires: en medium: experimenta aut noſtra ſequere & obſerva, aut ipſe inſtitue; quod niſi feceris, quidquid deinceps oblatraveris, non reſpondebo: Vale &c.

Scribebam Spadæ 25. Julii 1778.

Vidit Æ. F. DE GRAVE, *L. C.*
Vidit J. F. DIERICX, *Lib. Cenſ. Reg.*

ERRATA.

Fol. 5. ſpodanos *lege* ſpadanos.
. . . 12. at ob hanc *lege* & ob hanc.
. . . 13. diſſicatum *lege* deſiccatum.
. . . 23. patui *lege* potui.

3

Commentarius Medicus

DE

APHTHIS NOSTRATIBUS

SEU

Belgarum Spruw.

A U T O R E

VINCENTIO KETELAER,
MED. DOCT.

Nunc denuo editus & mendis expurgatus, curante

JOANNE SMITH, *M. D.*

Μόνος δ' ἂν ὁ τῶν σημείων ἔμπειρος
Εἰκότως ἐπιχειρείη. *Hippocr. de Medico.*

LONDINI,
Typis JACOBI BETTENHAM,
Proſtant venales apud M. COOPER, in Vico vulgò
Pater noſter Row vocato.

MDCCXLIX.

Nobilissimo, Amplissimo,

Prudentissimoque SENATUI

Zirizæano salutem.

MAgnum, Patres conscripti, miraculum homo est; sive partem hujus intuemur inferiorem, pusillam corporis machinam, quæ summo artificio & compendio vastissimam mundi molem exhibet, & qua (ut *Senecæ* verbis utar) nihil neque majus neque ornatius rerum natura genuit; sive majestatem spectamus animæ, quæ naturæ & ortus sui dignitate omnem materiam longè prætervecta, velut princeps & rerum arbitra præfulget: sed hujus admirationi nihil deest, si utriusque à se quàm remotissimè naturâ diffidentis amicam, familiarem ac individuam unionem atque comita-

tum contemplamur, in primis cum neutrum alterius ope vel ſit, vel vivat, ſed ſuo utrumque inſito peculio ſe protegat. Sed quantis paraſangis reliqua omnia ſplendor hominis à tergo relinquit, tanto hujus inveſtigatio difficilior & cognitio deſperatior. Ab omni ſæculorum memoriâ qui ſublimioribus curis eminere ſtuduerunt, hunc potiſſimum ſcrutati ſunt, vel ut nudâ ſpeculatione mentem paſcerent, vel in remedium humanarum calamitatum veluti deorum filii quippiam conferrent. Neutrorum conatus improbandi: quippe per quos pomœria humanæ reipublicæ & promoventur & excoluntur. Horum exemplo, Patres conſcripti, ut meæ erga vos obſervantiæ, atque hujus breviuſculi otii mei ratio conſtaret, de Aphthis noſtratibus commentariolum edidi, vobiſque inſcripſi ac dicavi. Quidni

vobis?

vobis? Inter quos ſi illæ non primum innotuere mihi, ſaltem longo rerum uſu penitiùs penetratæ propius conſpiciendas ſe præbuerunt. Plurima inſuper veſtra in me merita ſuo ſibi jure nullum non officiorum genus exigunt: eâ animorum propenſione, humanitate, ac beneficentiâ me proſecuti eſtis, ut in patriâ urbe non alia quis verecundis votis ſibi promiſerit, quam in me externum cumulatiſſimè contuliſtis. Quas ob cauſas ne impudentiæ poſtuler, à qualicunque pro re nata gratitudine ſperandum eſſe mihi perſuadeo. Vobis ſi hæc animi atque obſequii mei pignora haud ingrata intelligam, immane quantum alacritatis accedet ad perpolienda majorum vigiliarum opera, veſtrâque amplitudine digniora. Valete. Scribebam Zzææ exeunte Auguſto CIↃ.IↃↃ.LXIX.

IN

Eruditiſſimi Viri

VINCENTII KETELARII,

Medici, & Gymnaſiarchæ Zirizæani,

Commentarium

De APHTHIS NOSTRATIBUS.

MAjorum veneranda ævi ſtat gloria ſcriptis,
Queîs medicam dubius conſulat æger opem.
Sed malè multa tamen, non intellecta leguntur,
Sæpiùs & priſcâ non redit arte ſalus.
Quæque ſuos patitur manes mutabilis ætas,
Quæque ſui queritur ſemina terra mali.
Antiquos noſtræ latuere Machaonas Aphthæ,
Et latuit Medicas his adhibere manus.
Non veterum auxilio, nec defenſoribus iſtis
Corpus eget; melius poſtulat artis opus.
Quum variant morbi, variantur temporis artes,
Ut nova cura malis convenienter eat.
Hanc docet & monſtrat *Ketelaria* penna ſalutem,
Judiciumque ſuum, quo tueatur, habet.

Tempora temporibus diſcernit, nomina rebus,
Signaque cum cauſis ingenioſa notat.
Ex merito tibi ſurgit honor, doctiſſime Rector,
Et calami famam nobilioris habes.
Vocis iter claudunt præſtrictis faucibus Aphthæ,
Sæpe immaturæ ſunt quoque cauſa necis:
Sed tibi dant vitam; dum te fecere diſertum;
Et patet in laudes area lata tuas.

Rochus Hofferus.



EDI-

EDITOR LECTORI.

CUM nemo fruſtra naſcitur, nec in ſuam ſed publicam utilitatem: mihi in mentem venit, quod me etiam pietatis ergo pro mea facultate in commune aliquid conſulere, & omnibus nervis, ut proſim pluribus, contendere oportuerit. Porro cum doctis placuiſſe viris præcipuam laudem duco; poſteaquam apud me ultro citroque aliquamdiu egiſſem, decrevi munuſculum iis offerre, quod eorum oculis digniſſimum judicarent: ideoque, quod ſpero, me non temeritatis arguent, ſi hunc eruditione plenum Tractatulum de Aphthis noſtratibus, &c. typis publicis eorum gratiâ denuo mandem. Atque id mihi quidem faciendum potius conſtitui, eo quod novam hujus opuſculi editionem a quamplurimis medicinæ ſtudioſis exoptari intelligam. Fateor hercle id mihi vehementer doluiſſe, me, quamvis ſummo ſtudio diligenterque diù perquiſiverim, niſi unicum exemplar invenire haud uſquam potuiſſe; & ex maximâ apographorum penuriâ unum ex ſplendidiſſimis artis medicæ radiis tantum non fuiſſe extinctum. Quod cum vidiſſem, ſerioque apud me ſæpiùs conſideràſſem, rem facturus gratam omnibus φιλιάτροις videbar; ſi Ketelaer in lucem, meâ qualicunque curâ perpolitum,

revocarem, atque hominum memoriæ tandem de integro traderem. Non eſt, ut, qui laudes omnes ſuperat, ſupervacaneis & inanibus oneretur: ille enim gloriâ aliunde adveniente non eget, qui abundat ſuâ.

Non autem ab re erit quærere, an Medici, ſeu Veteres ſeu Recentiores, de Aphthis febres judicantibus loquuntur necne, eorumque obſervationes unum in locum cogere.

Ab Autore noſtro recenſitum habemus, quicquid a Veteribus fuit memoratum: reſtat tantummodo ut Recentiorum ſententiam in medium proferrem. Hunc in primis affectum noviſſe videtur Williſius, quippe quem diſertis verbis deſcripſit, uti a ſequenti paragrapho huc delato ex facili colligere eſt. "Quandoque in " febribus (ac præcipuè circa earum declina- " tiones) contingit, linguam, palatum, gin- " givas, imò totius oris & gutturis cavitatem " materiâ viſcoſâ, albicanti velut cruſtâ *qua- " dam, obliniri: quâ ſæpiùs deterſâ, ſtatim " nova repullulat; & ni diligenter os frican- " do & colluendo,* cruſtoſa *hæc* materies *cre- " brâ vice abſtergeatur, ſuffocationis pericu- " lum ægri non rarò ſubeunt."——Et paulo infra, rationem criſeos habuiſſe videtur, ſic dicens: "—— in febribus, cum a longiori ſan- " guinis deflagratione materies aduſta pluri- " mum congeritur, cujus non minima pars,*

" poſt

"*post crisin residua, adhuc cruori & succo*
"*nervoso confunditur, aut cerebro aliove loco*
"*defixa, ab iisdem denuo resorbetur; proba-*
"*bile est quod ista materies diuturna coctione*
"*perassetur adeo, & fere glutinis instar*
"*crassescat: quare nec sudore, nec transpi-*
"*ratione insensili difflabilis, nec per vias uri-*
"*narias secerni habilis; sed demum arteriolis*
"*aliisque salivæ ductibus in palatum dehiscen-*
"*tibus (utpote usitatâ excretionis viâ) sensim*
"*exsudet, & protinus præ crassitie suâ in*
"*lentorem istum concrescat.* ——— "*Novi*
"*quendam in declinatione febris, cui non so-*
"*lum hujusmodi lentoris incrustatio in parti-*
"*bus oris successit, verum salivatio copiosa,*
"*velut ab assumpto Mercurio, cum fœtore*
"*anhelitûs, item linguæ & gingivarum in-*
"*tumescentia, plures dies ciebatur.*" (α) *Huc-*
usque Willisium audivimus.

Mortonus etiam Aphthas criticas certissimè compertas habuit, & illas febrium difficilium comites satis dilucidè sic depingit: "*Nec*
"*non ab inflammatoriâ humorum acrimoniâ*
"*ulterius exaltatâ* Aphthæ *suppullulant* albæ,
"*vel, pro genio veneni magis deleterio,* Ni-
" græ, *prout salivam è sanguine magis mi-*
"*nusve venenato secerni contingit. Eadem*
"*acrimonia, dum ventriculum vellicat,* Sin-

(α) *De febribus Cap.* 10.

" gultum;

" gultum; *dum musculos, membranas, vel* " *partes glandulosas impetit,* Dolores Rheu- " maticos, Pleuriticos, Phreniticos, Angi- " nosos *producit.*" De Crisi instante loquens sic infit. " *Siquidem, cum primùm à sub-* " *actione veneni incœptâ, Natura quadante-* " *nus superior evaserit, calor febrilis illico* " *mitigari incipit, atque symptomata inde* " *provenientia diminui, uti* Vigiliæ, Deliria, " &c. Pulsus *fortior, & minùs celer sentitur,* " *atque* Respiratio *liberior,* Aphthæ *decres-* " *cunt aut saltem colorem in melius mutant,* " *Emunctoria corporis calore priùs constricta* " *reserantur, atque lympha inutilis & effœta,* " *in habitu corporis priùs congesta, quà data* " *porta effluit. Cum per* Renes *excernitur,* " *Urina priùs pauca, tenuis & straminea, jam* " *copiosa redditur, contentis saturata, vel* " *saltem* hypostasin *aut* enæorema *dimit-* " *tens: Cum per cutis poros emittitur, Sudores* " *sunt universales, iique calidi & satis copiosi,* " *& cum* εὐφορίᾳ *tolerati: Cùm e ductibus sa-* " *livalibus Rivulus Lymphæ sanæ os colluit,* " Aphthæ *absterguntur, brevi sanescunt, &* " *sitis extinguitur.*" (β) *Iterum, inter recensendum varias methodos, quibus ad Lympham colliquatam criticè expellendam utitur Natura, ejusdem Cl. Viri verba ità se*

(β) *De febribus in genere, Exercit.* 1. *Cap.* 1.

" *ha-*

habent. " *Præſertim vero, ubi Venenum ſit*
" *de genere Mercurialium, Lympha in tarda*
" *hujuſmodi criſi ſæpiſſimè* Glandulas *ſaliva-*
" *les atque totam membranam Os, Oeſopha-*
" *gum & Ventriculum inveſtientem petit:*
" *Unde nova eaque ſatis moleſta Symptomata*
" *hoc morbi ſtadium ab initio uſque ad finem*
" *comitantur: ſcil.* Salivatio, *eaque interdum*
" *adeo copioſa atque diutina, ut rivulus acris*
" *& venenatæ Lymphæ ad tres hebdomadas*
" *continuò ſcaturiat; Et* Aphthæ *Albæ, ſive*
" *Ulcuſcula totam membranam oris, linguæ,*
" *æſophagi, & nonnunquam ventriculi glan-*
" *duloſam occupantia, ab acrimoniâ lymphæ*
" *ex his partibus excretæ orta, quæ continuò*
" *ſuccreſcunt & revireſcunt, donec veneno,*
" *criſi perfectâ, penitus ſubacto, tota Maſſa*
" *deferbuerit.*" —— & febre declinante, ——
" *omnia ſunt in vado, Pulſus magis conſtans*
" *ac vegetus fit, Urina rubedine ſatis tingitur,*
" *ac* hypoſtaſin *vel ſaltem* enæorema *præci-*
" *pitat:* Aphthæ *magis albæ, ac deciduæ,*
" *neque ampliùs ad revireſcendum aptæ ſunt:*
" *Vigiliæ, Deliria, Sitis unà cum reliquis*
" *id genus Symptomatis indies decreſcunt.*

" *Ubi verò e contrà, Febris jam fiat ferè*
" continua, *Urina ſenſim a rubrâ & turbatâ*
" *mutata, primùm* hypoſtaſin *levem vel* enæ-
" orema *oſtendat; dein verò in claram &*

" *pel-*

" *pellucidam transeat*, Pulsus *magis celer, de-* " *bilis ac vacillans fiat*, Aphthæ *nigrescere* " *incipiant & minùs inflammari, atque, de-* " *ciduæ licèt, iterum repullulare*; Lingua " *fiat tremula, arida vel scabiosa;* Salivatio " *derepente sistatur, accedentibus* subsultu ten- " dinum, comate, deliriis *cæterisque id ge-* " *nus febris malignæ symptomatis: procul om-* " *ni dubio, venenum in ultimo agone, de spi-* " *ritibus victoriam reportavit, atque, utut* " *Natura languens crisin moliatur, nullam* " *tamen assequitur nisi infidam & imperfec-* " *tam, quam Mors brevi exceptura est, si assi-* " *duo Alexipharmacorum, Vesicatoriorum cæ-* " *terorumque malignitatis remediorum usu id* " *non possit evitari* (γ).

Quæ prædicta sunt, binis febrium Historiis rata habemus; primâ sc. febris remittentis cum Diarrhæâ torminosâ comitante; alterâ febris Συνεχέ𐅻 *spuriæ Rheumaticæ; quibus Cortice Peruviano pariter fugatis terminum dederunt Aphthæ.* " *Spatio enim* " *Bidui, postquam* ℥ *vi.* Corticis *in varias* " *Formulas redactas* (Ægra) *devorâsset, multò* " *meliùs sese habuit, utut* Aphthæ *albæ & be-* " *nignæ sub finem febris suppullularent; Ter-* " *tio autem die, a Febre dirisque ejusdem* " *Symptomatis, ac* Aphthis *nuper subortis peni-*

(γ) *Method. cur. Febr. cont. ration. Exercit.* 2. *Cap.* 7.

" *tus*

" *tus liberata revaluit*(δ). *Iterum*: "*Postquàm*
" Cortex *ad aliquot vices exhibitus fuerat*,
" *respectu habito ad Symptomata vehementia*,
" *die vicesimo Æger a doloribus ac febre pene*
" *liberabatur, Pulsus fortis, ac tardus, Tem-*
" *peries mitis evasit, Sitis penè extinguebatur,*
" *Appetitus rediit, Lingua tamen quadante-*
" *nus arescebat, & Urina plus justo rubescebat;*
" *unde conjeci rem esse in vado, atque Natu-*
" *ram veneni reliquias sponte deleturam.*
" *Quid fit? Spatio unius hebdomadæ* Aphthæ
" *quasi* Criticæ *cum Salivatione conjunctæ*
" *morbum terminabant; qui solito contuma-*
" *cior erat, vel quia a veneno intensiori pro-*
" *ducebatur, vel quia Æger nauseabundus*
" *vix dimidiam partem Remedii præscripti*
" *deglutiebat; Vel quia* Cortex *parum ve-*
" *getus ministrabatur* (ε)." *Denique sub exitu Febris Dysentericæ anni* 1666 *Aphthas tum Symptomata exitialia comitantes, tum salutares criticas observavit.* " *Die* 14°.
" 17°. 21°. *fatis cedebant Ægri, non autem*
" *absque* Siti *inexplebili*, Aphthis *albis vel*
" *nigris*, Pulsu *celeri*, Deliriis, *cæterisque*
" *febris* Epidemiæ *indiciis*."————
" *Alios (virulentiâ per ductus salivales cri-*
" *ticè expulsâ) ope* Aphtharum *& salivationis*

(δ) *Exercit.* 2. *Cap.* 9. *Histor.* 3.
(ε) *Histor.* 13.

im-

" *immensæ supervenientis (quod in Crisi Fe-*
" *brium* Συνεχέων *haud rarò evenire solet) li-*
" *beratos memini* (ζ)."

Sydenhamus etiam, ille diligens fidusque observator, in constitutione Dysenteriæ Febrisque Dysentericæ annorum 1669, 70, 71, 72, *de Aphthis eadem memorat: & primò de Dysenteriâ.* " Aphthæ *insuper, exeunte* " *morbo, oris interna, faucesque sæpenumerò* " *obsident; in primis ubi corpus diu fuerit ex-* " *calefactum, & materiæ peccantis evacuatio* " *medicamentis adstringentibus impedita, non* " *exacto priùs per Cathartica morbi fomite.* " *Atque hæ quidem mortem imminentem ut* " *plurimùm denunciant* (η)." *Dein de febre Dysentericâ hoc modo disceptat.* " *Ad* " Aphthas, *cùm jam discessum meditaretur,* " *erat propensior* (sc. Febris) *quam vel prior* " *ista, vel alia quævis Febris species, quam* " *mihi hactenus contigit videre. Huic etenim* " *perquam familiare fuit (uti & Febri etiam* " *illi, quæ Dysenteriis supervenit) cum jam* " *fere desineret, materiam fœdam atque acrem* " *è sanguine in os atque gulam deponere,* " *unde nascebatur dictum Symptoma; in iis* " *præsertim, quos contumacior morbus diutius* " *maceraverat, & regimen justo calidius am-* " *plius infirmârat* (θ).

(ζ) *Appendix Exercit.* 11. (η) *De Dysenter. p.* 180.
(θ) *De febre Dysenterica p.* 190.

Sed

Sed de his hactenus. Cum autem tam in his quam in cæteris regionibus Aphthæ aliis judicationibus criticis sese adjecerint: nullus dubito, quin hic meus labor, quantumvis exiguus, ad patriæ commodum sit redundaturus, Pæoniamque artem, unico hoc sidere jam rursum coruscante, lucidiorem redditurus. Nihil restat itaque, nisi ut orem obtesterque te, Candide Lector, ut quod tuâ gratiâ in hac novâ Commentarii sequentis editione curandâ præstiti, boni consulas: & eâdem benevolentiâ, quâ tibi dono, quicquid hoc opusculi est, quod tamen, nî fallor, in suo genere præstantissimum esse mecum senties, accipere digneris. Vale.

Scribebam Londini
ad Calendas Julii, 1749°.



COMMENTARIUS

DE

APHTHIS NOSTRATIBUS

SEU

Belgarum Sprouw.

UNDE malo huic, quod ſeptentrionalibus hiſce plagis tam frequens atque anceps eſt, Aphtharum nomen ſit inditum, meritò miramur. Nam quæ à priſcis (*a*) Medicinæ conditoribus nobis Aphthæ deſcribuntur, adeo a noſtris diverſæ ſunt, ut toto cœlo diſtent. Hippocrates Aphoriſmo vigeſimo quarto Sectionis tertiæ (*b*), multiſque

(*a*) *Verum ea longè periculoſiſſima ſunt ulcera, quas* ἄφθας *Græci appellant; ſed in pueris, hos enim ſæpe conſumunt. In viris & mulieribus idem periculum non eſt. Hæc ulcera a gingivis incipiunt; deinde palatum, totumque os occupant; tum ad uvam fauceſque deſcendunt: quibus obſeſſis, non facile ſit, ut puer convaleſcat: ac miſerius etiam eſt, ſi lactans adhuc infans eſt; quo minus imperari remedium aliquod poteſt.* Celſ. Lib. vi. *Cap.* II.

(*b*) Ἐν δὲ τῇσιν ἡλικίῃσι τοιάδε ξυμβαίνει. τοῖσι μὲν σμικροῖσι καὶ νεογνοῖσι παιδίοισιν, ἄφθαι. ἔμετοι. βῆχες. ἀγρυπνίαι. φόβοι. ὀμφαλοῦ φλεγμοναί. ὤτων ὑγρότητες.

 aliis

aliis locis (*c*), inter morbos primæ infantium ætatis proprios eas numerat, & ſuperficiaria oris ulcera, maligna & ſerpentia, ignea quadam caliditate prædita vocat, quæ nuper natis infantibus, tenelliſque accidunt. Ad ea Galenus, " in puerulis, *ait*, recèns in lucem " editis Aphthas fieri. Sic autem vocant ul-" cerationes oris ſuperficiarias, præ mollitie " maximè inſtrumentorum exortas, quæ ne-" que contactum, neque lactis qualitatem " ferre poſſunt, quod non parùm ſeri in ſe " continet. Eſt autem id naturâ abſtergendi " facultate præditum, adeo ut mirum non ſit, " ſi in mollioribus corporibus quas in ſuper-ficie ulcerationes efficiat (*d*):" Et alibi facilè ea placari inquit, ſi infantis os cibis & potibus prorſus inſuetum modicè aſtringas. Nec oris tantum, ſed & aliarum partium fervida & ſuperficiaria ulcera Aphthas vocârunt. Unde Hippocrati *ἀφθᾶν τὰ αἰδοῖα* dicuntur.

(*c*) Τὰ ἐν παρισθμίοις ἕλκεα ἄνευ πυρετῶν γινόμενα, ἀσφαλέστερα. ———————— ὁκόσοισι ταχέως ἐν παρισθμίοις νομαὶ ὑφίστανται, τῶν πυρετῶν μενόντων καὶ βηχίων, κίνδυνος πάλιν γενέσθαι ἕλκεα τὰ παλινδρομήσαντα ἐν ἰσθμίοις. ἕλκεα τοῖσιν ὁμοίοισι, κινδυνώδη. τοῖσι παιδίοισιν ἀξιολόγοις ἕλκεσιν ἐν παρισθμίοισι, καταπινομένων, σωτηρίας ἐστίν. ὁκόσα δὴ μᾶλλον τῶν πρότερον μὴ δυναμένων καταπίνειν ἐν παρισθμίοισιν ἕλκεσι, πολὺ τὸ χολῶδες ἀνεμεῖσθαι, ἢ κατὰ κοιλίαν ἔρχεσθαι, κινδυνῶδες, *& ſic deinceps.* Hippocrat. περὶ ὀδοντοφυΐας.

(*d*) *Galen. Commentar. in Hippocrat. Aphor.* 24. § iii.

cuntur *(e)*. Sic illi, & ex illis omnibus Medicorum natio deinceps uno ferè ore locuta eſt: qui acrimoniam & corruptionem neſcio quam aſſumptorum, e ventriculo exhalantium, aut e capite in ſubjectum os procumbentium, cauſam earum ſtatuêre, & repellentium uſu tractavere. Noſtrates verò Aphthæ ab his omnibus procul ſint, & naturâ, cauſis, ipſàque curandi methodo differant, in progreſſu patebit. Quod praxin auſpicantibus non leviter ſemper impoſuit, quos nomina & Veterum ductum ſecutos in exitiales errores ſæpe lapſos fuiſſe neceſſe eſt. Non utique dubitem, ſi animi ſenſa candidè aperire liceat, aſſerere, id vitii, quod vulgari notione Aphthas appellamus, iis, qui Medicinam nobis tradidere, vel planè fuiſſe ignotum, vel alterius apud illos, quàm hîc, indolis; ut mirum non ſit, nulla aut obſcura ejus veſtigia monumentis eorum contineri. Quid enim? ſi hodie Gallia, Italia, Hiſpania, & calidiores regiones id adeo ignorent, ut ne fando quidem de eo quicquam inaudiviſſe videantur, ſaltem ex Practicis eorum nemo, ut nobis conſpici-

(e) Ἢν ἀφθήσῃ τὰ αἰδοῖα, μύῤῥα ἑψήσας ἐν οἴνῳ, διακλυζέσθω αἰδοῖα. Hippocr. περὶ γυναικείης φύσιος. & *infrà*; ἢν ἐν τοῖσιν αἰδοίοισιν τὰ ἕλκεα γένηται, βόειον στέαρ ἐπαλείφειν καὶ μυρσίνην ἐν οἴνῳ καθεψῶν, διακλυζέτω τῷ οἴνῳ, ἢ ἐλαίας φύλλα, καὶ βάτου καὶ ῥοιῆς. Hippocr. περὶ γυναικείων.

 tur,

tur, prælibaverit aut attigerit: quid de Antiquis exiſtimabimus, qui eodem aut ferventiori cœlo uſi ſunt? Fateor quidem Hippocratem in calce Προγνωςικȣ͂ hæc de ſe prædicare: "Non eſſe quod a quoquam nomen alicujus "morbi deſideretur, quod iis libris deſcrip- "tum non ſit: quippe ſigna, ibi tradita, "vera eſſe & in Libya, & in Delo, & in "Scythia *(f)*," id eſt, regione calidiſſimâ, temperatâ, frigidiſſimâ. Ubi non tam Græciæ quam univerſi mundi praxin ob oculos poſuiſſe videtur, & eum rerum uſum aſſecutus, ut omnes humani corporis affectiones viderit atque indicârit. Quamquam tanto viro, quem ſemper veneratus ſum, nihil derogatum velim; affirmare tamen id auſim, ſi tantâ frequentiâ, tantoque periculo, ut nobis, ità antiquis Aphthæ unquam viſæ fuiſ-

(f) Ἐπεὶ ϗ̀ ἐν Λιβύῃ *, ϗ̀ ἐν Δήλῳ, ϗ̀ ἐν Σκυθίῃ φαίνεται τὰ προγεγραμμένα ἀληθεύοντα σημεῖα. ἐξ ὧν χρὴ εἰδέναι, ὅτι ἔντε τοῖσιν αὐτοῖσιν χωρίοισιν, οὐδὲν δεινὸν τὰ πολλαπλάσια αὐτῶν ἐπιτυγχάνειν, ἢν ἐκμαθὼν τὶς αὐτὰ κρίνειν τε ϗ̀ λογίζεσθαι ὀρθῶς ἐπίςηται. ποθέειν δὲ χρὴ ȣ̓δενὸς νȣσήματος ὄνομα, ὃ, τι μὴ τυγχάνῃ ἐνθάδε γεγραμμένον. πάντα γὰρ ὁκόσα ἐν τοῖσι χρόνοισι τοῖσι προειρημένοισι κρίνεται, γνώσῃ τοῖσι αὐτέοισι σημείοισιν. Hippocrat. in loco ſupra citato.

* *Operæ pretium videtur apponere quod ad hunc locum his verbis aſcribit Erotianus.* Λιβύη, Δήλω, Σκυθίη. Νῦν Ἱπποκράτης ἠθέλησε τὰ τρία κλίματα τῆς οἰκουμένης δηλῶσαι, Λιβύην μὲν ἀντικρὺς εἴπων, τὴν δὲ Ἀσίαν διὰ τῆς Δήλȣ, τὴν Εὐρώπην διὰ τῆς Σκυθίας. Foeſii Annotat.

ſent,

ſent, non tam oſcitanter, negligenterque poſteris eas expoſuiſſent: quippe qui minimos ac tutiſſimos quoſque affectus eâ curâ, eâque ambitione proſecuti ſint. Hâc quoque cauſâ nihil iis dignum a quopiam hactenus editum eſt; quòd antiquos compilando ingentia volumina quiſque malit condere, aut etiam mira ſectari, quàm endemia & patria vitia proprio ſtudio eruere. Sed de nomine eo minùs litigandum eſt, quod majorum potiſſimum reverentiâ videtur receptum; ne quid uſquam locorum aut gentium foret, quod priſcis illis patribus inobſervatum videretur.

Aphthas igitur, ut Nobis occurrunt, hoc modo fuſiùs & rudiùs deſcribo. Puſtulæ ſunt albicantes ſummis ac internis oris & interdum vicinis reſpirationis & deglutitionis partibus inſidentes, plerumque per lentam ac imperfectam criſin febribus ſupervenientes, Borealibus his tractibus familiares. In tuberculorum & puſtularum cenſum redigendas eſſe, non in ulcerum, fides oculorum evincit. Quid, quæſo, iſtis cum ulcere? Non hîc ſolutio continui, non imminuta, ſed aucta magnitudo eſt. Pariter non exedendo eſcharam ſeu cruſtam tenellis partibus inducunt; ſed vel maturæ fruſtulatim decidunt, vel interiora repetendo manifeſtiora ſui veſtigia, quàm ſi nunquam fuiſſent, in ore relinquunt. Eas quoque ſem-

per candeſcere, aut ſubalbicare & ad cineritium colorem vergere, imprimis ſi funeſtæ ſint, nihilo minùs liquet. Ut rubræ & atræ pro humoris differentia ſpeculantium potiùs figmenta ſint, quàm uſu inveniantur. Saltem, dum meliora doceamur, eas negamus. Non enim veriſimile eſt, ut in rebus ſibi adeò vicinis & cognatis ſors tantum polleat, cùm albæ plus millies nobis oblatæ ſint, ut rubrarum, nigrarumve ne umbræ quidem unquam apparuerint. Superficiariæ hæ puſtulæ candentibus apiculis orbiculatis utrinque ab uvula frequentiſſimè incipiunt, & inde per devexiores palati partes progreſſæ, illis finibus aliquando continentur: interdum, ſi graviores ſint, toto ore ſparguntur: linguam, gingivas, atque ipſa labia, quà ori intùs obtenduntur, occupant. Sæpe nec his limitibus ſubſiſtunt, ſed pomœria proferunt ad imas fauces, gulam, œſophagum, & quæ his continua copioſiùs ſero ſolent prolui. Hujus rei non levia nec pauca indicia ſunt. Nam ut ea prætercam, quæ à deglutiendi & ſpiritum ducendi difficultate petuntur; inſtar omnium documento eſt, Aphthas, quando jam maturuerunt & excernuntur, tantâ copiâ aliquos dies per os & per alvum nonnunquam rejici, ut aliquot pelves vel matulæ congeſtas eas vix capiant.

Non inficias eo tenacem & glutinosum mucum, qui individuus earum comes est, videri posse illas augere; tamen quocunque modo res expenditur, tantum Aphtharum semper relinquitur, ut nec os, nec quicquid est vicinarum partium tantum earum vim capiat. Ut non immeritò videri possim stupore quodam in eam opinionem raptus, tantis Aphthis conspectis, ipsum ventriculum & tenuia intestina interiùs tota iis obsessa fuisse. Sed de hac re nostratium practicorum judicium esto: dissimulare mentem fas non erat.

De causis Aphtharum, & quomodo generantur, major difficultas est; &, quia rei caput, hîc paulò diutiùs & pressiùs morandum. Ante omnia non temerè quidem videor mihi persuasisse, hunc affectum, qui omni ætati & sexui communis est, eodem semper modo oriri & a causis pendere, quæ magnitudine atque acrimoniâ, seu, quis malit, malignitate quidem, nunquam autem naturâ diffideant. Ut audiendi non sint, qui alias in nuper natis & infantibus, alias in adultis ponunt. Quippe puellorum Aphthas a lacte nutricis serosiori aut acriori molles & teneras oris partes erodente aut exedente nasci, aut aliâ quadem causâ externâ, oppidò quàm ridiculum est. Omnis acrimonia seu assumptorum, seu catarrhi e capite in subjectum os delapsi, seu

e ven-

e ventriculo exhalans, non excitabit, ſed, ut aſtringentia, natas Aphthas abolebit. Si oculis & obſervationibus ſuis practici mallent credere, quàm præjudiciis, quæ temerè ab antiquis hauſêre; fateri cogerentur, nihil eſſe, quod generationem & Aphtharum maturationem plus remoretur, quàm earum rerum uſum, quas Aphtharum cauſas ſtatuunt. Quotidie videre eſt, ſi, ortis Aphthis, prolapſus ſeri in fauces aut alias interiores partes ſuperveniat, quàm ſtatim evaneſcant, ac malo omine diſcedant. Sed non tam aliorum placita laceſſere, quam propria firmare, ab inſtituti ratione monemur.

Omnes, quotquot ſunt, Aphthas per criſin gigni, plerumque imperfectam & lentam, & unam ac ſolam cauſam agnoſcere empyreuma, quod, vario fonte in vaſis natum, a natura in dicta loca eliditur, ex animi ſententia ut demonſtretur, omnem hinc operam dabimus. Id haud difficulter perſuadebitur, ſi illâ notione & ratione Aphthæ ſpectentur, qua continuis & ardentibus febribus viridi conſtantique ætate ſuperveniunt: Ibi earum ortum & eruptionem ſymptomata perturbationis criticæ manifeſtiſſimè ante eunt, alias ſeveriora, alias mitiora, pro cauſæ antecedentis & materiæ in vaſis morbificæ copia ac malignitate, viriumque robore aut dejectione: Ibi ſubitam

ad

ad ſalutem & mortem, in melius vel deterius mutationem fieri, & poſt naturæ morbique conflictum eas naſci, longè evidentiſſimè conſpicitur. Vario namque ancipitique Marte res peragitur; nunc antecedentis cauſæ empyreumate illo a natura probè ſubacto ac mitigato, per eas criticè expulſo magnâ ægrorum euphoriâ & ſymphoriâ; nunc morbificâ materiâ uberiore, contumaciore aut maligniore, negotium naturæ exhibente, proſtratis viribus, ægrorum exitio cuncta tentantur, & vel nullæ Aphthæ prodeunt, vel mox, omnibus in pejus ruentibus, triumphante morbo, ſummâ animi anguſtiâ conduntur atque diſcedunt. Quam anadromen, quandocunque aut quotieſcunque tandem fit, niſi anagoge vel naturæ ſponte vel artis auxiliis ſequatur, pro depoſitis & conclamatis ægri meritò habentur. Quæ, quæſo, evidentiora criſeos indicia? Aphtharum materia ab internis ad externas, a nobilibus ad partes ignobiliores truſa bonam ac ſalutarem, conſtantibus viribus, mutationem cauſatur: contrà, ſymptomatico motu ab externis & ignobilioribus ad interna & nobiliora aut in vaſa majora regurgitans, opprimendo, & tantum non extinguendo vitæ fontem, perniciem affert.

Fateor equidem perfectas criſes, quæ ſtatis diebus morbos pleniſſimè ſolvunt, in his oris

quàm rariſſimè occurrere, & criſium ſigna adeò confuſa & obſcura nobis offerri, ut ferè fruſtra captentur; nihilo tamen minùs imperfectas, quæ lentè & ſenſim exſtirpant quicquid in corpore malorum eſt, frequentiſſimè dari conſtat: quibus non immeritò Aphthæ accenſentur. Eſt enim affectus hic tardior, & plerumque longiùs protrahitur, nec in dies tantum, ſed in ſeptimanas, nonnunquam menſes. Contingit utique ſæpiſſimè, maximè ſi initio morbi univerſales vacuationes neglectæ fuerint, cum eæ per Aphthas commodè poſt tentari nequeant, eam plethoram & cacochymiam in corpore exundare, quæ non niſi longo tempore per Aphthas, diaphoreſin, ſudores, urinam & lenia alviduca abſumi poſſit. Nam venæ ſectioni, quod palmarium ad deplenda vaſa præſidium eſt, aut acriori, iteratæve purgationi nullum locum eſſe poſt ortas Aphthas, ſi ex dictis nondum patet, pleniùs & fuſiùs in earum curatione urgebitur. Adeo ut omnis vaſorum colluvies Aphthis potiſſimùm exhaurienda ſit. Adhæc antequam periodum legitimè abſolverunt, & omne miaſma, Aphthis eliminandum, ſublatum eſt; variis de cauſis ſtationem deſerunt & interna repetunt. Hoc caſu maximam partem aut in ſolidum quà per excretionem, quà per anadromen, evaneſcunt; adeò ut interius os, quod

quod pridie aut aliquot ante horis undique iis obtectum erat, poſtridie, vel paulò poſt, omnibus liberum & vacuum ſit; ægri expeditiùs deglutiendi & ſpirandi munia obeant, ſibique reſtituti videantur. Sed qui debellatus apparet hoſtis, in inſidiis latet, hoc plus metuendus, quò vitalibus propiùs adſit. Quodcunque iſtius miaſmatis in vaſa nunc rediit, (ut ex recrudeſcente febri, cordis oppreſſione, citato interdum alvi profluvio, aliiſque facilè colligitur) novam ibi materiam, quam ſibi obnoxiam faciat, invenit, &, fermenti vice, in ſuas partes rapit quicquid ſequi promptum paratumque eſt: Cum quo prælia inſtaurat, quibus ſi non fatiſcat & concidat, tamen plurimum quantum natura delaſſatur, & non, niſi commodis alimentorum & medicamentorum adminiculis ſuffulta, denuo ſe exonerat, novaſque Aphthas gignit. Quæ non aliter ferè, quàm ſi nullæ unquam fuiſſent, ſuum ſpatium relinquunt, quo maturentur & excernantur. Neque id ſemel, ſed interdum ſexies, ſeptieſve aut ſæpiùs contingit, ut expulſa Aphtharum cauſa vitæ arcem infeſtis ſignis petat. Ex quibus videtur eſſe perſpicuum, omnes Aphthas per modum criſeos naſci, quæ ex ancipiti & diuturna naturæ & morbi lucta moras trahat longiores aut breviores, ut alteruter fortior pluribus aut paucioribus præliis bellum illud confecerit. Nunc

Nunc de antecedente & continente Aphtharum causis dicendum est. Antecedentem non ejusdem indolis & moris esse, vel id unum argumento est, quod tanta illius moderatio & benignitas aliquando sit, ut quamvis copia fatiget, edomita tamen & mitigata nihil negotii cordi facessat: aliàs tam ferali rabie grassetur & infestet, ut quascunque partes tetigerit, extrema iis minetur: si cordi incubuerit, ejus calorem, motum, & quicquid ex eo in universum corpus virium diffunditur, tantum non suffocet: Si in infimum ventrem præceps feratur, symptomatum phalangem invehat, & inter ea perniciosissimam diarrhœam, qua corpori vix succus & viribus fomes relinquitur: Pari modo si mentis sedem invaserit, deliria, vigilias, jactationes, furores, aliaque sævissima infligat, adeò ut hæc tanto imperio, quanto illa obsequio se gerat. Neque aliunde ferme illa empyreumatis diversitas petenda est, quàm a materiæ morbificæ coctione aut cruditate. Per pepasmum enim & coctionem, quæ excessu qualitatis infecta sunt, ad temperiei mediocritatem rediguntur; & quæ orgasmo huc illuc palabunda vagantur, in ordinem redeunt; quæque substantiæ modo quodam omnis coctionis expertia sunt, ab utilibus separata convenientibus viis excluduntur: ut quocunque modo ferociam ponant,

nant, quæ à naturæ finibus longiùs recesserunt. Et ut hic quorundam, juniorum inprimis, qui poſtquam cum ſapientia veterum divortium fecere, ipſis quoque artis vocabulis nuncium miſere, palato inſerviatur; non intelligimus coctionem illam cæco modo fieri ab neſcio qua natura partibuſque ſolidis; ſed cùm ſit fermentatio, miſtorum concurſu, virtute & efficaciâ abſolvi. Facilè enim concipimus plurima heterogenea inter ſe commiſſa ſe infringere, atterere, & luctando omnem aſperitatem & feritatem amittere. Novum etiam è corde ſpirituum acceſſum ſemper humores non modo ciere, ſtimulare & miſcere, ſed & quadam veluti Majeſtate omnia moderari. Quamvis difficile ſit omnes continenter meatus & ductus prodere, quibus animalis ſpiritus ad cor & deinceps in ſanguinem redeat; tamen de re ipſa dubitandum non eſſe, ſatis arguit & ſtructura cordis & ejus nunquam intermiſſa atque indefeſſa munia. Ex muſculis miro opificio totum contextum non niſi animali ſpiritu inflatur atque agitatur. Deinde ſingulis pulſibus is ignis in corde accenditur, qui non aliter in effœto ſanguine oriri poſſe videtur, quàm acceſſione & inflammatione acerrimi cujuſdam agentis: quod qui aliud ab animali ſpiritu comminiſcitur, næ ille argutando meras nugas agit. Conſentaneum etiam naturæ legibus

legibus eſt, ut quæ cordis anfractus ſemel tranſiere, ſi ſibi conſultum velint, identidem officinam illam repetant; qua à morticino languore vindicentur. Hic animalis ſpiritus in orbem ad cor regreſſus & ſanguini poſtliminiò redditus, ut rei naturalis pepſeos & coctionis autor eſt, ità pepaſmum & coctionem rerum alienarum, quæque præter naturam ſunt, primariò obit: ut, tanquam naturæ miniſter atque emiſſarius, eam omnibus formam indat, quæ vel vitæ ſuſtentandæ ſint, vel excretioni facilitandæ. Hinc quæ ante ſeptimum morbi diem Aphthæ ſuboriuntur, multò moleſtiores & lethaliores ſunt iis, quæ à ſeptimo vel nono die proveniunt; quod earum materia mitior & mollior tractu temporis evaſerit, minuſque jam viribus fractis gravis ſit, quàm contumacior viribus integris.

Sed quia hactenus Aphthas ut continuarum febrium comites vel pediſſequas expendimus; antequam antecedens earum cauſa dimittitur, videndum eſt an ea ſemper in febrili miaſmate conſiſtat. Memini plurimis adfuiſſe me, qui in ſumma apyrexia Aphthis tenerentur; quique præſenſiſſe nullam febrim, ab omnique graviori malo ſe immunes fuiſſe aſſeverarent. Poſſe etiam Aphthas per ſe oriri, nullâ præcedente vel comitante febri, haud difficulter credere inducor, cùm quævis labes, à natura

Suppose a Crisis what will [illegible]
Spitting, Difficult what spirits,
purging what will &c...

victa & eò loci criticè expulsa, earum materia esse possit. In infantibus certè & nuper editis, talis acrimonia ac malignitas, præeuntesque febres non semper observantur. Omnis earum causa & origo in illis videtur deberi materno sanguini & polydædalæ isti impuritati, quam in utero contraxere, quæ levi sæpe ebullitione per sudorem & Aphthas fugatur. Inquinamentum tamen febrile, majoribus vasis conceptum, suâ, naturæque propensione ad Aphthas tendens, plerumque earum antecedens materia & causa est. Quæ ut continens fiat, & ad dicta loca feratur, nunc videndum est.

Docet usus, vacuationes, quamvis morbis sint pares, tamen eos non solvere, quinetiam magis irritare, si eorum causa per loca non sibi commoda viam affectet. Ita in variolis & morbillis, ut & Aphthis, stimulata alvus quantum sæpe noceat experimur. Unde ad salutarem excretionem non modo requiritur naturæ inclinatio & robur, quibus à molestis & alienis rebus liberetur; sed vel in primis ut peculiari humorum morbificorum ingenio ac motui ii meatus & viæ pateant, per quas inoffenso cursu ferantur. Hinc in imperfecta crisi, qua omne malum non unâ subitâ mutatione, sed pluribus judicationibus absumitur, optimè monet Hippocrates: " Quæ du-

" cenda ſunt, eò ducenda, quò maximè natura " vergit, per loca convenientia (*g*)." Neque hæc Aphtharum continens cauſa per arterias proximè in os, eique vicinas partes videtur egeri, ſed potiùs per vaſa, adulto hoc ſæculo detecta, quæ lympham vehunt, & ab inventoribus *lymphatica* appellata ſunt. Illa non tantum limpidiſſimam & puriſſimam ad oris vocaleſque partes irrigandas aquam manant; ſed & ſæpe vitia, quæ induerunt, in eadem loca deponunt: Quid enim obſtet quo minùs ſincerus hic humor ex vaſis majoribus admittat & transferat quædam miaſmata & ſanguinis vitia, cum tenuitate & fluiditate aptiſſimum vehiculum ſit? De hoc tamen cum nemine contenderim, quia ad felicem Aphtharum curationem exiguum momentum ac pondus videtur conferre.

Id extra omnem aleam eſt, plurimum ſeri Aphthas comitari, & ore totoque capite exuperare. Videre licet, ſub earum exortum, ægros, flammante febri, aliquando non ſolum in ſomnum pronos, ſed profundo etiam ſopore inquietari, vellicari & turbulentiùs evigilare. Quæ ſimul arguunt ſeri in capite

(*g*) Ἃ δεῖ ἄγειν, ὅπη ἂν μάλιστα ῥέπῃ διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων, ταυτῃ ἄγειν. Hipp. de hum. 30.

Ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων. Idem. Aph. i. 21.

plethoram & acrimoniam empyreumatis sero junctam, menti sensibusque vel sepultis gravem.

Postquam internas Aphtharum causas, modumque generationis rudi Minervâ delineavimus; quo fato septentrionalem plagam potissimum oppugnent, quod in descriptione postremum erat, quærendum videtur.

Dari morbos endemios, qui certis quibusdam locis & populis peculiariter adhærent, nec aliis regionibus temere conspiciuntur, ab omni ævo observatum est.

Est Elephas morbus, qui propter flumina Nili
Gignitur Ægypto in media, neque præterea usquam.
Atthide tentantur gressus, oculique in Achæis
Finibus, inde aliis alius locus est inimicus
Partibus ac membris: varius concinnat id Aër. LUCRET. VI. 1112.

Alpium accolæ quàm obnoxii sint strumis, bronchocelis, & steatomatis; & Sarmatæ ac Poloni illi plicæ, qua capilli velut glutine inviscantur ac complicantur, notum est. Sed omnium instar eos arguit Scorbutus noster, qui hasce oras perpetuâ tyrannide occupat, & hic veluti sepem regni constituit. Aphthas autem nostrates ex eorum censu esse facilè

 mihi

mihi consentiet, qui omnia retro sæcula, & quà diversus à nostro orbis porrigitur, animo relegerit. Prisci artis nostræ Patres in hoc affectu silentio plusquam sacro usi fuere; & qui deinceps insecuti sunt, quique hodie calidioribus terræ humanæ saluti consulunt, nusquam earum meminere.

Solo, ut supra dictum est, nomine nobiscum conveniunt, qui, si utrarumque natura spectetur, maximo intervallo dissident. Si rem suis momentis perpenderimus, non utique magno labore causas explorabimus: nam qui in his oris humor naturæ vi in Aphthas propendet, easque gignit, ferventiori tractu eum sudor omnem exhaurit. Quippe aër subtilior, corporum habitus rarior, humores tenuiores & fluidiores, omnia denique ad diaphoresin & sudorem comparata sunt; contra, apud nos frigidius & humidius cœlum, victus crudior, habitus corporum densior & humores crassiores, reliquaque omnia totidem fere sudoris remoræ sunt. Nec levia aut pauca indicia sunt, quæ probent, nostratium Aphtharum materiam æstuante plagâ critico sudore dissipari. Nam hic copiosior sudor & uberiores urinæ Aphthas in primis tutiores, levioresque efficiunt: quæ vacuationes si quo modo præpediantur aut subsistant, maxima Aphtharum vis etiam a valido sed oppresso

corde

corde emergit ac continuo ſuccreſcit. Materia enim ἀφθώδης ſero potiſſimùm miſcetur, & ob id commodiſſimè vacuatur per vias quibus ſerum & lympha defæcatur. Ad hæc nihil in Aphthis funeſtius eſt illis excretionibus, quæ revulſionis lege ſudorem remorantur: aut ſi alvus, uterus, hæmorrhoides, aliæve partes ſponte vel temere irritatæ, præſentibus Aphthis, magnam eorum, quæ conſuevere, copiam profundant.

Adeo ut noſtrates Aphthæ ſuboriantur lentâ criſi, quæque hic æmuletur eam, quæ in naturis, locis, aëre, victu calidioribus ſudore aut urinâ peragatur.

Eſt quodam prodire tenus, ſi non datur ultra.
HORAT. Epiſt. I. i. ver. 32.

Nec omnibus quidem borealibus tractibus ex æquo frequentes ac graves ſunt: ſingulæ fere urbes aliter eas experiuntur. Zelandia noſtra adeo iis expoſita eſt, ut, ſeneſcente autumno aut ineunte hyeme, decimæ quæque & ultra ex continuis febribus per eas terminentur. Horum omnium endemiorum malorum cauſas ſi ex Phyſicis inſtituti noſtri ratio pateretur transferre; non aliam nunc animo lubentius amplecterer, quam in mundi hujus incunabulis omnia ex iis ſimpliciſſimis

rerum ſeminibus (quæ innumerabilia ſunt) coaluiſſe, atque etiam dum conſtare, quæ firmam & ſtabilem nullâque creatâ vi domabilem naturam ſortita, multifariam quidem inter ſe committuntur, dividunturque, neutiquam vero primum ſubſtantiæ modum exuunt vel mutant. Quæ primordia ut terram noſtram componunt & pro naturæ ſuæ indole omnia afficiunt, ſingulas hujus telluris regiones & plagas iis omnibus referciunt, quæ nobis vel amica vel inimica, ſalutaria vel noxia ſunt. Nec ſubterraneis modo mineralibus alia aliis loca ingravidantur, atque impraegnantur; ſed ſumma hinc terra quæ inquinamenta induit, illis aquas, aërem, fruges, fructus, omnemque hominis nutricatum ſpargit: adeo ut inter ſacra menſæ, dum genio litatur, cum gulæ illecebris ea admittantur, quæ cuniculos in vitam ſenſim agant, eamque mox demoliantur.

——— *Has leges æternaque fœdera certis*
Impoſuit natura locis ———

VIRG. Geor. i. 60.

Ut Medicina, naturæ ſimia, ex combinatione ſimplicium alia atque alia in uſum hominum medicamina præparat; ita ex fœcundiſſimâ naturæ penu quædam ad ſalutem &

noſtri

nostri conservationem nobis suppetunt, nonnulla in perniciem simul obrepunt; quod aliena & heterogenea labem suam ubique relinquant: adeo ut ex iis fontibus domestici & vernaculi morbi emergant, quibus vita sustentatur & conservatur.

Ventorum quoque ac cœli, solisque clementia vel ferocia, locorumque situs sua huc pondera conferunt. Cyclades Zelandiæ nostræ, mediis aquis innatantes, cum non nisi vada sint, congesto aggere cincta, & ambienti pelago vix caput extollentia; cumque Neptuniam hanc prolem ventorum furori objiciant: quid mirum eum hic cœli haustum esse, qui præter uliginosi soli salsedinem, eorum affectuum parens sit, de quibus aliæ gentes ne fando quidem inaudiverint? Sed longiùs digressi in viam redeamus.

Dum procatarcticas & externas causas nostratibus Aphthis eas assigno, quas in genere omnium endemiorum morborum scaturigines agnosco; non eadem mea ac illorum mens est, qui veterum Aphthas tradidere. Illi enim, dum ea externa assumuntur, vel alio quovis modo internas oris partes feriunt, acri erosione, aliâque infestâ qualitate proximè volunt parere ea ulcera, quæ ipsis Aphthæ vocantur: secus autem, vitia ea ut foris ingruunt, ita Aphthas nunquam edunt, nisi prius univer-

ſum ſanguinem affecerint, idque negotii ſolidis partibus creaverint, ut continuæ febres inde plerumque ſuccreſcant, quæ peculiari naturâ humorumque motu in Aphthas deſinunt. Sed ad ſigna earum tranſimus.

Diagnoſtica, quæ præſentes eas indicant, cùm oculis obvia ſint, & dijudicari vel à mulierculis poſſint, minùs anxiam & ſolicitam operam poſtulant. Ea vero diagnoſis, quæ Aphthas imminentes & mox erupturas ex artis legibus ſpeculatur, difficilior eſt, & incertâ augurandi fide fere nititur. Utcunque ſe habet, præſtrinxiſſe eam, utique fraudi non erit. Inſtare Aphthas docent primò ſpirandi & deglutiendi labores; æſtuſque pectoris reciprocantis inordinatior atque immoderatior; vox minus diſtincta ac clara, (lingua etiam, omniſque interni oris compages ab indomita ſiccitate exaſperatur;) ſomnus nunc turbulentus, nunc profundus, ſed à quo non magno adeo opere ægri levantur. Quæ ab urinis in hunc finem indicia petuntur, adeo incerta ſunt, ut recenſeri non mereantur. Mitiſſimæ tamen Aphthæ poſt coctionis ſigna, quæ nobis urinæ exhibent, apparent.

Nec contemnendo etiam argumento colligitur Aphthas in procinctu ſtare, ſi ægri mala ab iis vacuationibus, quæ alias omnibus minuendis aut tollendis pares erant, adeo nihil

hil remittant, ut magis magiſque in dies ingraveſcant. In continentibus febribus, vel tertianis putridis, ſi alvus naturæ ſponte vel artis auxiliis proritata magnam vim bilis ejuſque ſaburræ, quæ præcordia occupare ſolet, excluſerit; ſi vomitu, urinis aliiſve vacuationibus undique ægri rebus proſpectum fuerit, & ea tamen vel adeſt vel inſequitur vitalium anguſtia, præcordiorum oppreſſio, ac, refugiente animo, virium præcipitatio cum inquietudine aliâque terrificorum ſymptomatum phalange, ut ægri depoſiti videantur: in his reipublicæ humanæ ſeditionibus ac tumultibus non temere Aphthas impendere ſuſpicabitur, quiſquis uſu cognoverit, unius noctis ſpatio hæc omnia componi, ſi, ſolutis repagulis victiſque obicibus, naturæ vigore Aphthæ proruperint. Quin illud, cum quo collato pede natura congreditur, facile concludet ejus ingenii eſſe, ut non per regiam viam, ſed faucium anguſtias ſalutarem fugam capeſſat; quo omnia etiam conſilia ac operam intendet, ut iis adminiculis, quæ inferiùs tradentur, in dicta loca hoſtem eliciat. Ex his ſignis, utcunque veriſimilibus, nemo niſi limitando futuras Aphthas prædixerit: cum inter hæc nihil ἀφθῶδες ſæpe lateat aut metuendum ſit; & nonnunquam, pauciſſimis horum præmiſſis, magnâ copiâ derepente

pro-

profiliant. Qui vulgi auram, aut etiam vanissimæ gloriolæ choragium, ex hujusmodi præsagiis captant, & se, & artem sæpe sæpius deridendam exponunt.

Ut Aphthæ propinquæ Medicos identidem fallunt, ita præsentes non meliori fide agunt, si ex illis salutem vel mortem hariolari velimus. In primis enim, ut earum prognosin attingam, incertum & anceps illud malum est. Sæpe cum maximam sui spem ægris ac Medicis fecerit, præter omnem expectationem ad exitium tendit. Cum ratione tamen prognostica quædam pro earum differentia instituuntur. Cum aliæ sint infantium, adultorum aliæ, suæ etiam decrepitorum: nunc exhaustis viribus, alias integris aut leviter labefactis superveniant: interdum mitificatâ & coctâ morbi materiâ, aliquando crudâ & efferâ oriantur: nonnunquam aliquot solum pustulis ab utraque uvulæ regione summum duntaxat palatum spargant: rursus non tantum universo ori interno, sed etiam interioribus partibus insideant. In tanto discrimine liquere arbitror, longe mitiores tutioresque esse, quæ constantibus viribus, adultâ ætate, post conflictum naturæ & morbi cum signis concoctionis à septimo vel nono morbi die, non ita magnâ copiâ, pacatis plerisque symptomatis, & in primis cessante aut multum remit-

mittente febre emergunt. Semper graves & tremendæ sunt provectiori senectæ, ut & effœtis viribus. Intutæ etiam sunt, quæ aliquoties evanescendo repetitis ictibus & insultibus naturæ negotium facessunt, & non nisi summâ ægri diligentiâ ac Medici curâ, ope plerumque medicamentorum, laboriosius revocantur. Qua indole maximam partem illæ sunt, quæ ante subactam morbi materiam proveniunt. Nam ut omnis anadrome materiæ pacatæ ac coctæ vel per se anagogen salutarem habet; ita crudæ & ferocientis, vel nullam vel difficilem. Malum etiam, si mulieri seu stati seu intempestivi menses profluxerint: revulsionis enim lege ab ea sede, qua solâ cum salute ægri maturescere poterant, in diversam & alienam corporis regionem miasma ἀφθῶδες trahunt. Sæpissime vidi etiam in vegetâ ætate, cum ab Aphthis nihil aut periculi perparum imminere videretur, à sola mensium eruptione *omnia in pejus ruere, ac retro sublapsa referri*. Eâdem ratione alvus sæpius & copiosius egesta, atque etiam hæmorrhoides hic nocent. Quamcunque corporis regionem Aphtharum fomes invaserit, præter eas, quas naturæ ductu atque auspiciis sibi vindicavit; ibi debacchari & extrema minari solet. Catarrhus quoque si Aphtharum tempore in fauces vel vicinas interiores

teriores partes procubuerit, non modo Aphthæ dilabuntur, ſed, niſi vires validæ fuerint, exitialiter latere conſueverunt.

Graviores & periculoſiores illæ ſunt, quæ, nullis inter initia morbi vacuationibus adminiſtratis, ab impuris pleniſque vaſis effunduntur. Quod hic & alibi contingit quam frequentiſſime: nam quamdiu vis morbi patitur, ſumptibus parcunt, & in ipſo demum ſtatu ad Medici operam plerumque confugiunt; quo non modo omnia intentata ſunt, ſed attritæ vires & in Aphthas natura propendens, vix quicquam dignum & par morbo tentari ſinunt. Cæterum cum affectus hic ſæpe diuturnus & vario fato formidabilis omni ætati & ſexui ſit, magno ſolatio & virium adminiculo appetitus, qui fere ſemper languet, nonnunquam exacuitur. Hoc beneficio, quamvis malum protrahatur, ægri perferendi ſunt: cum à novo commodi alimenti ſucco plus naturæ, quo fulciatur, accedat, quàm mora rerum, quæ præter naturam ſunt, ei auferat. Quod cum primis videre eſt, cum

Placidus feſſum, leniſque foves,
Tuque ô domitor, Somne, malorum,
Pars humanæ melior vitæ.

Sed

Sed ad curationem velis remiſque properamus. Ea in hiſce potiſſimum duobus conſiſtit: Aphthæ in ore conſpicuæ, lenientibus ſtomaticis maturandæ ſunt, & vaſorum reſiduus ille æſtus febrilis, qui quam rariſſime per Aphthas univerſus ſimul & ſemel critice expellitur, temperandus, omnibuſque modis minuendus atque abſumendus eſt. Prius autem quàm hæc perſequar, quærere lubet, quid ſtatuendum ſit de venæ ſectione & purgatione, communiſſimis atque efficaciſſimis ad deplenda mundandaque vaſa auxiliis? Quod ad ſanguinis eductionem, poſtquam Aphthæ prodierunt, attinet, ſcio eam variis locis à quibuſdam temere adminiſtrari, nullâ Aphtharum ratione habitâ, modo ſuppreſſa aliqua vacuatio, aut plena turgentiaque vaſa eum detrahendum, vel ebulliens effervefcentia refrigerandum ſuadeant. Sed cum ea per Aphthas naturæ ſtudio ac motui adverſetur, cumque victum fugatumque hoſtem in penetralia reducat, & ea ſubſidia, queis bellum hoc naturæ feliciter conficere ſolet, ſubducat, ægroſque ab ea fœde mactari ſæpiſſime viſum ſit; nullum locum, conſpectis Aphthis, ſanguinis miſſioni relinquimus, niſi forte alius quis affectus, qui magis urgeat, iiſdem conjungatur. Vidimus in virgine viginti trium annorum, cui inordinati ac parciores menſes erant,

verâ pleuritide Aphthas comitatas. Cum ſiniſtri lateris acerrimus ac pungens dolor, dyſpnœa, tuſſis, ardentiſſima febris, aliaque mala præſens remedium expoſcerent, non dubitavi ſatis largâ copiâ ſanguinem educere; & cum nec hoc auxilio, nec juleporum ac topicorum convenientium uſu ulla ſanguinolenta vel purulenta ſputa prodirent, nec quicquam eorum, quæ jugulare ægram videbantur, vel hilum remitteret; medicamentum, quod placando dolori ac ſudori ſtuderet, exhibui: à quo (mirum viſu audituque) quæ ſiniſtro lateri ac pleuræ impacta morbi materia fuerat, nigerrrima ac fœdiſſima per alvum omnis excernebatur, &, evaneſcentibus funeſtis illis ſymptomatis, ſola animi deliquia, ab ea diarrhœa orta, cum Aphthis perſeveravere, quæ in vigente ætate victu ac medicamentis roborantibus edomita priſtinæ ſaluti ægram reſtituere. Eandem venæ ſectionem memini in nauta meo juſſu factam, quem poſt Aphthas phrenitis aliaque horrenda mala tenebant, eâque adeo levatus fuit ut vel uni huic ſalutem ſuam debuerit. Hæc tamen non incaute tentanda ac æmulanda ſunt, & (ut dixi) niſi alia Aphthis graviora omnem Medici curam atque operam in ſe convertant: plura enim & majora ab ancipiti hoc præſidio metuenda quam ſperanda ſunt.

ſunt. Omnem igitur, præſentibus Aphthis, inciſionem venæ damnamus atque proſcribimus, quamvis ex ægri rebus ante earum exortum non modo obiri poſſe, ſed quam ſæpiſſime debere contendamus.

Nihil enim Aphthas tam lenes ac tutas præſtat, quàm ſi ſuo tempore univerſales vacuationes præceſſerint, naturamque ſub impuro onere ingemiſcentem aliquo faſce levaverint. Eædem rationes, quæ venæ ſectionem efforeſcentibus Aphthis diſſuadent, etiam contra purgationem eam militant, quæ cacochymiæ propria atque accommodata ab univerſo corpore & ulterioribus viis noxios quoſque humores trahit. Ea hîc funeſtiſſima eſt & intra paucas horas hypercatharſi finem vitæ plerumque facit. Alia eſt purgatio improprie ita dicta, quæ craſſiorum inteſtinorum aut etiam primæ regionis fæces ſubducit, & non niſi conſecutione quadam ulterius extenditur, quæque non tam epoto quàm injecto medicamento obitur. Ea præclaram per Aphthas operam ſæpe præſtat; & inteſtina eluendo, alvumque remorantem prolectando, non tantum infimi ventris vitia mitigat aut compeſcit, ſed etiam ab oppreſſione per eam vindicata natura alias evacuationes, per urinas, ſudores, atque ipſas etiam Aphthas felicius molitur. Tamen & hîc circumſpectione

tione opus eſt, nec niſi tertium jam diem aut etiam ultra, ſegneſcente alvo, commode tentatur. Lenientes ac emollientes clyſteres, ſi facultates ægri id præſidii genus patiantur, præ aliis omnibus probantur; ſin minus, glandes. Quæ ore aſſumuntur medicamenta, alviduca, vel alimentoſa ſunt, & hebetiora ac ignaviora fere fruſtra ad duriores fæces accedunt; vel validiora ſubſiſtentem quidem alvum agitant, verùm diarrhœæ metum injiciunt. Si quando intempeſtivo ac præpoſtero purgantium uſu, aut ſuâ ipſius ſponte converſo motu peccans humor in ventrem illabatur, diſſipatis atque evaneſcentibus Aphthis accenſâ febri, deliquia, ſingultus, atque exitialis illa hypercatharſis invehuntur: nec ea componuntur, niſi omni ope præceps alvus ſiſtatur, & Aphthæ poſtliminio redeant. Quæ omnia, ut feliciſſime & ex ægri ac Medici voto res cadat, imminutis tamen viribus & temporis diſpendio fiunt. Caveat igitur junior Medicus, ſibique ac ægro temperet, ne hunc hoſtem exhibitis temere catharticis laceſſat: nam

————————— *galeatum ſerò duelli*
Pœnitet ——————————

JUVENAL. i. 169.

Quod

Quod quidam, in primis pueruli, negligentiùs ac viliùs habiti, totos quandoque dies ac noctes in Aphthis ſummâ animi alacritate ac vigore dejiciant, (quod & in variolis aliquoties vidi) ea non tam exempla quàm monſtra ſunt. Poſtquam ex uſu quotidiano prodidimus, quomodo utrumque illud potentiſſimum ac frequentiſſimum alexicacùm, venæ ſectio ac purgatio, in Aphthis moderandum, ad reliqua progredimur.

Aphthæ, ut ſupra dictum eſt, vel crudâ atque etiamnum turgente morbi materiâ, durantibus ebullitione & ſanguinis in majoribus vaſis efferveſcentiâ, febre aliiſque cognatis malis, ante aut poſt ſeptimum morbi diem oriuntur; vel à ſeptimo die, ſubjugatâ ac probe concoctâ omni malorum materiâ, diſceſſione utilium factâ, à robuſta natura in locis convenientibus gignuntur. In his præter commodam diætam & pauca quædam ſtomatica nullus uſus medicamentorum eſt. Quid enim victricem & triumphantem naturam, erectis in ore tam illuſtribus tropæis, rebus his ingratis non aliter quàm ſi medio adhuc campo hoſte committeretur aut in acie ſtaret, interpellare ac turbare juvet? Optimum hîc remedium eſt nullo uti remedio. Quamvis non ita frequenter, tamen fieri videmus, ut cum Aphtharum ortu reliqua mala,

 la,

L: The French Physicians [illegible] to me, I could not endure it, and [illegible] what I [illegible]. He sent for the King's surgeon [illegible] [illegible]. Treat of this.

la, quæ Medici curam ſolicitant, obliterentur atque aboleantur, & omnis in ſolo ore ac faucibus labor conſiſtat. Hoc in caſu quibus os & ori vicina colluenda ſunt; quibus gargarizandum, quæ ſtomatica ſubſidia appellantur, quia in eo cardo rei vertitur, diligentius eſt limitandum. Utuntur hodie Practici, iique haud obſcuri nominis, refrigerantibus atque aſtringentibus, ſeu actu, ſeu (uti vocant) poteſtate talia fuerint. Sed quo fato ipſi viderint. Hoc conſtat, quantum ori ac faucibus per frigida illa ſpatii ac laxitatis, tantum cordi & vitalibus anguſtiæ, anxietatiſque parari. Tantum poſſunt præjudicia, ubi animos ſemel invaſere: nec cæcitatem modo inducunt, ſed et videndi deſiderium adimunt. Priſcorum Aphthæ, cum erodentia ac ſerpentia ulcera fuerint, refrigerantium ac hujuſmodi aſtringentium opem poſtulaverunt; ſed alia longe noſtratium ratio eſt, quæ quo magis proliciuntur, hoc mitiores ſunt; & tum demum ferociam ſuam in graves tumultus acuunt, cùm exitu prohibeantur. Male utique juvandi artem profitetur, qui cum natura, quam tuendam ſuſcepit, digladiatur, & ab externis ad interna malum traducit, ablatum ratus quicquid extra ſenſuum ambitum eſt. Alterutrum repellendo fieri neceſſe; vel ut ardor ἀφθώδης præpeditus, inſtauratis præliis, à valida natura

ægre

ægre vincatur, vel debilem obruat. Iis igitur, quibus os colluitur, Aphthæ non fugandæ, ſed provocandæ ſunt. Quæ non alia ſunt quàm lenientia, maturantia, dulcia, pectori amica, omnia formâ liquidâ & actu tepida. Plebs noſtra uſu & Medicorum præceptis edocta, poſthabitis omnibus operoſioribus & ſumptuoſioribus medicamentis tutiſſime utitur vel ſolo raparum juſculo ſaccharo edulcorato; vel, ſi tempeſtas anni id neget, ſolâ cereviſiâ tenui ſaccharatâ. Quæ duo, ubi intepuerunt, omnes oris partes alluendo, & in imas fauces deſcendendo, non modo Aphtharum acrimoniam, ſi quæ ſit, placant; ſed omnem etiam qualitatis exceſſum mitigant atque hoc pacto maturationem perficiunt. Quanquam illa hoc magis probanda ſunt, quòd nobis familiaria alienam ac ingratam medicaminis vim non reſpiciant; tamen in eum finem plurima alia præſcribi poſſunt. Ut rei medicæ ignaris gratificemur, formulam gargariſmatis, quod domeſticum & quovis tempore omnibus parabile eſt, adjungam.

℞ *Hordei mundati unciam unam,*
Paſſularum exacinatarum uncias duas,
Ficuum N°. tres,
Glycyrrhizæ raſæ drachmas tres:

 Coque

Coque ex Aqua communi ad libras duas;
in colatura ſolve
Syrupi jujubini uncias duas. Miſce.

Si procul ab urbibus ruri degatur, loco illius ſyrupi, vulgari ſaccharo colatura dulceſcat, & palato concilietur. Hujuſmodi collutione oris identidem utendum eſt, ut obſeſſæ atque aridæ fauces id jubent. His ſubjungunt multi varios linctus, quorum quamvis nullos niſi refrigerantes ac repellentes improbem; tamen quia omnes ſyrupi ventriculi tenorem ſolvunt & flacciditatem ei inducunt, ad hæc plurimo muco conſtipant, nauſeamque & cibi faſtidia augent, omitti, ſalvis ægri rebus, poſſunt. Si quis tamen eos concupiſcat, ex omnibus jujubinus, tuſſilaginis, capillorum Veneris, de glycyrrhiza optime eliguntur: eâ cautione, ut inter initia exortûs Aphtharum temperati, in progreſſu & fine calidiores præferantur. Jam denique deſpiciendum eſt, quomodo in imperfecta ac lenta criſi, quæ frequentiſſima eſt, Aphthæ regendæ ſunt. Si omnis vaſorum majorum æſtus non cum Aphthis deferbuerit, ſed turgeſcendo pro ſuo partiumque quas occupavit ingenio tumultuetur, cautè tractandus eſt, ne feræ ſævientis more ſtragem edat. Nec ad hoc magnâ vi ſemper opus eſt: blandiendo & palpando ferociſſima quæque manſueſcunt: — *Per-*

———— *Peragit tranquilla poteſtas,*
Quod violenta nequit; ————
CLAUD. de Mallii Theod. Conſul. 239.

Sæpe commoda victûs ratio palmam hîc præripit ei medendi modo, quo plurimis & variis medicamentorum formis ægri delaſſantur. In victu conveniunt omnia corroborantia & quæ citra offenſam pectoris refrigerando humorum fervorem temperant, nec non urinam & ſudorem cient. Ille puerperarum potus ex vino Rhenano, ovis, cinnamomo, ſaccharo & croco confectus ſæpe omnibus intentionibus ſolus ſatisfacit, & niſi calidior ſitim ſiccitatemque adaugeret, omnium, quæ promovendis Aphthis ſunt, magnorum inſtar foret. Nunc gallinarum, carnis vitulinæ, aut vervecinæ, niſi alvus laxior ſit, jus pauco croco aut cornu cervino præparato conditum optimè naturam adverſus hoſtem inſtruit. Si res tenuiores hos ſumptus non ferant, ova ſorbilia cum croco aut dicto cornu cervi præparato ſumpta idem fere præſtant. Lac etiam vaccinum cum hordei farina in pultem actum ad conciliandum ſomnum in noctem ſumitur. Placentam apud nos ex lacte, ſaccharo, & ovis in formam paulo ſolidiorem lento igne coquunt: cui aliquem etiam hîc locum da-

mus,

mus, ſi fauces liberiores ſit deglutiendo. Hoc fere modo poſſunt plurima pro cujuſque genio ex victu quotidiano proponi; ſed fugienda ſemper in hoc affectu acida. Quæ licet putredini potentiſſime adverſentur, & languentem ventriculum ſtimulent, pleriſque etiam gratiora ſint: quia tamen pectoris ingratiis invitiſque pulmonibus uſurpantur, ne tuſſim Aphthis infeſtiſſimam pariant, releganda ſunt. Pro potu, quibus res anguſta domi eſt, utuntur ſuo raparum juſculo aut ceveviſiâ edulcoratis. Ditioribus varia Julepa præſcribuntur, ne eo compendio ſanitas vileſcat. In rudiorum gratiam hæc formula ſit.

℞ *Hordei perlati drachmas ſex,*
Foliorum & Florum Boraginis,
—— Bugloſſi ſingulorum manipulum unum cum ſemiſſe,
Cinnamomi drachmam unam,
Glycyrrhizæ ſeſquidrachmam. Coque ex aqua communi ad ſeſquilibram. In colatura macerentur biduum calidè
Conſervæ Boraginis,
—— Violarum ſingularum unciam unam: factâ per manicam Hippocratis colaturâ & additis
Spiritûs Sulphuris guttas quatuordecim, f. Potus clarus.

Si

Si verò majori humorum ebullitioni & ſævioribus ſymptomatis hæc hactenus præſcripta imparia fuerint, ad medicamenta generoſiora ac potentiora confugiendum eſt. In contumacioribus vigiliis emulſiones ex ſeminibus frigidis, leniora etiam narcotica, ſi virium robur adſit, conveniunt. Variæ etiam potiones adverſus febrilem æſtum componuntur ex lapide bezoardico, cornu cervino, ſalibus cardui benedicti, abſinthii, oculis cancrorum, tartaro vitriolato cum ſyrupis violarum, papaveris rhæados & ſtillatitiis aquis calendulæ, cardui benedicti: Quæ hic celebratur gelatina cornu cervi, ex re & ſummo uſu eſt. Si vero hiſce cardiacis & febrifugis indurata alvus conſtipetur, tertio quoque die (uti dictum) clyſtere vel glande ſolicitanda eſt. Id enim in omnibus morbis, in primis acutioribus contingit, ut licet craſſæ & indomitæ ciborum reliquiæ in inteſtinis nullæ colligantur, quia nihil aut parum earum rerum aſſumitur: tamen à majoribus vaſis ſemper quædam in alvum deponuntur; quæ corpori alendo inidonea ſunt, & ob craſſitiem per alias vias excerni nequeunt. Ne igitur hæc in imo ventre cumulata, longiori morâ hypochondriis naturæque moleſta ſint, tempeſtive provocanda ſunt: hac ſolâ cautione, ne inquinamentum ἀφθῶδες introrſum deorſumque proritetur.

Si

Si autem ſponte, vel præpoſtero aſſumptorum aut injectorum uſu, ad inteſtina ruat, & ea acri morſu vellicando ad peſtiferam diarrhœam inſtiget: hoc caſu non clyſterum blandimentis acrimonia inteſtinorum eluenda eſt, ut aliàs in dejectionibus biliofis & fervidis frugifere fit; ſed unâ eâdemque operâ effrænis alvus cohibenda, & perverſus humorum motus corrigendus eſt. Cui inſerviunt enumerata paulo ante ſimplicia, ſudorem ſimul elicientia & alvum compeſcentia, ſi in potionem hujuſmodi formentur.

℞ *Magiſterii Coralliorum*

Cornu Cervi præparati ſingulorum ſcrupulum unum,

Theriacæ ſemiſcrupulum,

Croci grana ſeptem,

*Syrupi papaveris albi (*ſi ætas & vires ægri ſinant) *ſemunciam,*

Aquæ Cardui benedicti, q. s. Miſce, fiat brevis Potio, pro ætate adulta. Vel talis,

℞ *Decocti Cardui benedicti, aut Scordii, aut Meliſſæ,*

Florum Calendulæ,

Cinnamomi, omnium q. s. uncias tres: adde

Salis Cardui benedicti,

Oculorum Cancrorum,

Tar-

Tartari vitriolati (si ingens æstus sit;) *singulorum scrupulum unum,*
Syrupi de Rosis siccis aut Coralliorum semunciam. Misce.

Atque hoc modo innumeræ potionum formulæ ex prædictis conflandæ sunt. Quæ quidem omnes id potissimum agunt, dictâ victûs ratione adjutæ, ut Aphtharum materiam cæco furore in interiora atque inferiora pronam verso itinere ad superiora & exteriora repellant. Quæ res vel sola salutares ac tutissimas Aphthas facit.

Sunt enim illæ alicujus malignitatis participes, præcipue in adultis & ardentibus febribus. Hujus ratione omnem fere Medici curam ad se trahunt, atque alias omnes vacuationes cæteraque auxilia pro earum arbitratu ac imperio fieri par est. Quippe prima ac summa malignitatis ratio est; quòd ea ipsi vitæ fonti insidietur, atque hyperbolicâ substantiæ hyperbasi subitam atque inexpectatam plerumque cladem edat. Quam explicare ut hic locus non patitur, ita Aphthas eâ non carere plurima docent, & ante omnia acerrimus ille cordis conflictus, totiusque humanæ œconomiæ tumultus: ubi qui fusus fugatusque videbatur, Aphtharum æstus denuo ad cor redit. Hoc igitur præ cæteris agendum, ut

ab ea malignitate vitalia vindicentur, & sarta tectaque maneant. Quia vero Aphthæ nunquam fere ita maturescunt, quin vario insultu iterum iterumque cor lacessant; viribus semper consulendum est, ut repetitis mali ictibus pares sint. Quod non ægre fiet, cum omnia, quæ Aphthis, eadem & viribus dicata sint. Præscriptæ potiones ætati, viribus, malorumque sævitiæ prudenter accommodandæ sunt, nec crebriores esse debent, quod citra jacturam non sumuntur. Instaurans victus securitati conjunctam magnam efficaciam semper habet. His observationes quasdam subjungerem, nisi aliorum de hujus mali natura ac cura mentem audire satius putarem.

F I N I S.

